



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

Titulus XXXVIII. De Jure Patronatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

positus, ad collationem Abbatis pleno jure spectet, vel aliàs Manuale sit, eundem revocari posse, etiam sine speciali causa arg. Clem. un. §. *præmissa de Supplen. neglig.* Barbof. *ibidem num. 6.* §. 2. *segg.* quod ita ampliat Tambur. *d. disp. 9. quest. 15.* Panormit. *ad cap. 6. de Stat. Monach. num. 11.* ut, si Abbas illud beneficium ad dies vitæ Regulari suo contulisset, nec à tempore immemoriali quisquam à tali beneficio fuisset revocatus, imo si juramentum aut statutum factum fuisset de non revocando, nihilominus Religiosus revocatus propter votum obedientiæ redire deberet. Quodsi vero beneficium electivum fuerit, putà Abbatia, vel Episcopatus, Religiosus ad talem dignitatem per viam electionis assumptus, data semel licentia, à Prælato suo amplius revocari non potest. Idem dicendum, si ad beneficium sæculare,

quod ex natura sua perpetuum est, per Episcopum præhabita Abbatis licentia, vel per S. Pontificem institutus fuisset. Tambur. *d. l. num. 12.*

Ad alterum quæsitum sub disjunctione respondeo. Vel tale beneficium est pleno jure Monasterio incorporatum, ejusque provisio immediate ad Monasterium spectat: vel beneficium est sæculare, aut ad alium Ordinem, sive Monasterium pertinet, primo casu potest Religiosus ad acceptandum beneficium compelli, cum vi obedientiæ teneatur Abbati suo parere in omnibus, quæ ad observantiam Regulæ, vel bonum commune Monasterii spectant. Navarr. *Comment. 4. de Regular. num. 23.* Tambur. *disp. 9. Quest. 9.* Altero vero casu acceptatio similis beneficii à Prælato imperari nequit. Tamburin. *d. loc. cum Sanchez, Suarez & aliis.*

TITULUS XXXVIII.

De Jure Patronatus.

IN præcedentibus Titulis actum est de Præbendis, & Dignitatibus, de Religiosis Domibus, & de Capellis Monachorum; ad has cum non infrequenter assumantur Beneficiati per *præsentationem Patroni*; idcirco post dictas Rubricas convenientissimo Ordine compilator Decretalium Rubricam de *Jure Patronatus* posuit. Panormit. *ad Rubr. h. t. num. 1.* Materix hujus utilitas tum ex forensi usu, tum ex Controversiis, quæ circa *Jus Patronatus* frequentes excitari solent, se maximopere commendat. Henric. Canisius *ad Rubr. h. t. num. 1.* Nos, quæ ad intelligentiam hujus juris spectant, per distinctos §§. exponemus.

T t

§. I.

§. I.

Quid sit Jus Patronatus? Quando coeperit? Et in quot species abeat?

S U M M A R I A.

1. Jus Patronatus, uti & Patroni varia est homonymia. 2. Ejus definitio à Bœhmiero adornata rejicitur. 3. Initia hujus juris investigantur. 4. Relatis aliorum Sententiis nostram pandimus. 5. Jus Patronatus ad jura spiritualia refertur. 6. Est vel Ecclesiasticum, vel Laicale, vel mixtum. 7. Rursus aliud hereditarium, aliud Gentilitium, sive familiare. 8. Quid speciale habeat jus hereditarium in filio, si heres non sit, item in primogenito? 9. 10. Jus Patronatus ulterius in reale, & personale, activum, & passivum dividitur.

I Jus Patronatus, & nomen Patroni variae significationis est. Vocatur Patronus, qui causas litigantium orandas suscipit cap. un. C. 15. Q. 2. cap. 6. de Transact. l. 14. §. 1. C. de Judic. l. 14. C. de Advocat. divers. judic. Eodem quoque nomine compellari solent Advocati Ecclesiarum, qui earum tutelam, & defensionem contra violentas oppressiones suscipiunt. cap. 23. h. t. & de his prolixè Van-Espen J. E. V. part. 2. tit. 25. n. 14. & seqq. Item nomen Patroni tribuitur Domino, servum suum manumittenti, & Jus Patronatus pro jure manumissoribus competente, de quo Civilistæ ad tit. ff. de Jure Patronat. & C. de bonis libert. & Inst. de Success. libert. Panorm. ad Rubr. h. t. num. 1. Denique Jus Patronatus secundum hodiernam ejus faciem, & spectato jure Decretalium sumitur pro jure præsentandi Clericum ad beneficium vacans, & in hac ultima acceptione describimus cum Paulo Lancelotto in instit. Jur. Can. lib. 1. tit. 28. §. 1. quod sit potestas præsentandi in-

stituendum (Clericum) ad beneficium vacans. Ut plenior fiat definitio, adde: & prerogativas connexas exercendi. Magnif. P. Schmier lib. 3. tr. 1. part. 3. cap. 2. sect. 3. num. 62. & seqq. bonitas hujus definitionis ex dicendis patebit.

Bœhmerus conceptum hujus juris præ aliis se melius investigasse existimans, sequentem definitionem adornat §. 59. h. t. Jus Patronatus (inquit) adhuc hodie est dominium quoddam directum patrono in suam Ecclesiam competens ex fundatione, vel investitura, vel cessione, vel unionem, vi cujus à se præsentatum, & ab Episcopo approbatum, & ordinatum Ecclesie præficit, eundem de bonis ejus investit, & præterea ut dominus directus quedam jura honorifica, & utilia percipit, simul tamen onera nonnulla ferre tenetur. Conceptum hunc hausit ex corrupti sæculi illius moribus, quo Laici Principes in Oratoriis domesticis, vel ruri constructis, vel etiam in Ecclesiis à se in feudum datis dominium directum

Etum sibi per fas, & nefas asserere, & vindicare non dubitarunt, de quo ipse prolixè §. 20. & seqq. agit. Hoc vero dominium Ecclesia nunquam agnovit, sed pro iniqua usurpatione constanter habuit, melius ergo sensit, & scripsit Franc. Duarenus de sacr. Eccles. minister. lib. 5. cap. 5. inquit: Quamvis ergo (Patronus) dominus sit ejus soli, in quo basilicam edificat, aut earum rerum, quas Ecclesie constitutæ donat: tamen ratio juris non patitur, ut post consecrationem, Dedicationemque is locus, aut alie res DEO consecrate, in ejus dominio manere dicantur, quamvis eo verbo quidam abusi fuerint cap. monasterium C. 16. Q. 7. Itaque PATRONI appellatio magis, quam DOMINI ei convenire credita est, quasi Ecclesie defensor, propugnatorque tantum sit. Potest & idcirco Patronus appellatus videri, quod cum eo, qui servum suum manumisit, aliquam similitudinem habeat. Is enim, etsi dominus servi mandumissi esse desinat, tamen jus, quod dicitur PATRONATUS in jure civili, in eum perpetuo obtinet.

3 Juris Patronatus obscura & incerta esse initia fatentur omnes, qui in ejus origines de industria indagarunt, imo nec nomen Juris Patronatus, saltem eo sensu, quo hodie accipitur, in antiquis Canonibus, vel legibus reperiri testatur Franc. Florens in Tract. de antiq. jur. Patronat. ejus tamen aliquod simulacrum, imperfectam quandam ideam primis jam Ecclesie Sæculis extitisse contendit Van-Espen part. 2. tit. 25. num. 2. ostendens ex Guilielmo Parisiensi de Morib. cap. 9. & cap. 24. de Jur. Patronat. in prima collectione apud Antonium Augustinum, quod ea

ætate Ecclesiarum Fundatoribus jura quædam honorifica ex titulo gratitudinis fuerint concessa, & reservata, quæ sententia etiam placet duobus Scriptoribus Stryckio in addit. ad jus Eccles. Brunnem. lib. 2. cap. 8. num. 1. & Gabrieli Wolfio in Instit. jurispr. Eccles. lib. 2. cap. 8. §. 2. Juris hujus aliquod vestigium in Apologia prima S. Athanasii reperiri existimavit Christian. Lupus Tom. 5. Schol. ad Concilium Romanum sub Nicolao II. habitum Can. 6. Nam dictus Athanasius Imperatori Constantio sibi impropertanti, quod in Basilica sumptibus Imperatoris constructa, sed nondum consecrata Divina fecisset, ita respondit: Non Encænorum festum celebravimus, Religiosissime Auguste, id enim celebrare antequam decretum fuisset prorsus nefarium. Qua excusatione satis ostendit, Imperatori aliquod jus peculiare competitisse, quippe sine cujus consensu Ecclesie recens ab eo extractæ Dedicationem fieri nefas duceret, sicque jam illo ævo aliqua rudimenta juris Patronatus extitisse non sine fundamento Christiano Lupo visum est. Quæ tamen crisis non æquè probatur Thomassino part. 2. l. 1. cap. 29. num. 9. scribenti, ex hac protestatione Athanasii nihil quidquam elici posse, quo jus Patronatus illustretur. Forte in Concilio Arausicano I. anno 441. celebrato certiora extant hujus juris vestigia, nam ibi Canooe X. Episcopis venia facta est, in aliena Diocesi Ecclesias ædificandi, servata Episcopo ædificatori hac gratia, ut, quos desiderat Clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, cujus territorium est, vel, si ordinati jam sint, habere acquiescat.

T t 2

Vel

Vel in Concilio Toletano I. anno 440. habito, ubi Canone X. Patronorum fit mentio his verbis: Clerici, si qui obligati sunt, vel pro equatione, vel genere alicujus domus non ordinandos, nisi probata vita fuerint, & patronorum consensus accesserit. Ex priori Canone jus Patronatus quidem haud obscure adduci posse viri eruditi admittunt, sed quod illud Episcopis duntaxat competeret, non etiam Laicis, id quod confirmant ex Concilio Arelatenſi II. Canone 36. ubi Laici ab hoc jure expresse leguntur exclusi, ibi: Hoc solum adificatori Episcopo credimus reservandum. Videatur Thomass. part. 2. lib. 1. cap. 29. num. 3. 4. & 5. Christian. Lupus ad cit. Canon. 6. Concil. Roman. Franc. Florens à Van-Espen. l. cit. n. 8. relatus, Bœhmerus ad h. t. §. 15. Christian. Wolfius in Syntagm. jur. Eccles. tit. 7. §. 5. Attamen Van-Espen subdubitat, an non idem Canon Aurelianensis, si verba benè expendantur, Laicis quoque propitius & favorabilis esse possit, cum enim Episcopo (inquit) gratia hæc ratione adificata Ecclesie in aliena Diœcesi data esset, vix fieri potuit, quin hoc exemplo idem jus ad alios Fundatores, eadem suadente ratione, extenderetur. Alterum Canonem ex Concilio Toletano prorsus ad rem non facere censet Bœhmerus ad h. t. §. 13. & seq. & Wolfius cit. loc. §. 4. eo quod ibi non sit sermo de Patronis Ecclesiarum, sed de dominis, sine quorum consensu servos ordinari vetuit Concilium Toletanum. Horum ego interpretationi eatenus accedo, quatenus cum iisdem admitto, ex hoc Canone jus Patronatus directe non probari, quin tamen exinde argumentum aliud duq-

ci, & sic per indirectum jus Patronatus probari possit, nullatenus dubito; nam, sicut dominus servo suo facultatem impertiendo, ut SS. Ordines suscipere valeat, ipso facto eundem manumittere, censetur, & sic dominus esse desinit, nihilominus jus, quod Patronatus dicitur, jure civili in eum perpetuo obtinet, & propterea etiam in d. Canone jam non dominus, sed Patronus vocatur, ita quoque domini, qui in fundis suis Ecclesias ædificarunt, post consecrationem proprietatem quidem rei suæ amiserunt, aliquid tamen juris adhuc retinuerunt (inquit Stryk. in addition. ad Brunnem. loc. cit.) quod pietatis suæ, singularisque in Ecclesiam voluntatis perpetuum monumentum esset, nempe jus Patronatus, capropter patroni appellatio magis, quam domini eis competere visa est. Quo etiam faciunt, quæ supra ex Duareno adduximus. Sunt porro alii, qui juris Patronatus originem ab Oratoriis privatis accessunt, quæ magnates vel in ædibus suis, vel ruri in usum domesticorum, & vasallorum suorum extruxere, quorum dominium, & proprietatem sibi quoque vendicârunt, quin in ipsos quoque Clericos, quos Episcopi ad rem Divinam faciendam submiserant, hoc jus domini exercuerunt. Et hujus sententiæ sunt ex nostratibus Claudius Fleury in Inst. jur. Eccles. part. 2. cap. 16. §. 2. RR. DD. Leopoldus Pilatus origin. jur. Pontif. lib. 4. tit. 9. ex heterodoxis Bœhmerus h. t. §. 24. & seqq. Christian. Wolfius d. t. de Jure Patronat. §. 9. & seqq. qui duo ultimi etiam ab infeudatione Ecclesiarum olim facta juris Patronatus initia petunt.

Ye.

4 Verum, si licet candide dicere, quod sentio, absit, ut ab his fontibus turbidis, ne dicam, fœculentis *juris Patronatus* primordia repetam. Quid tum temporis tam circa Oratoria privata, quàm Ecclesias publicas, ipsarumque ministros magnates, & potentiores sibi vendicarunt, attentata erant, abusus, corruptiones, & iniquæ usurpationes, Patroni illi quidem erant *de facto* non *de jure*, nec ex convenientia, vel patientia Ecclesiæ, quam ferrea illorum temporum necessitas extorsit, ipsis quidquam juris accrevit. Vid. Corvin. *de Benef. Eccles. tract. 2. lib. 5. tit. 9. num. 16.* Van-Espen *cit. tit. cap. 3. num. 30. § seq.* Sæculo XII. tandem his malis occursum est, ut patet ex *cap. 4. h. t.* ubi PP. Concilii Lateranensis ita decrevere: *Quia in tantum quorundam Laicorum processit audacia, ut Episcoporum auctoritate neglecta Clericos instituant in Ecclesiis, & removeant, cum voluerint, possessionem quoque, atque alia Ecclesiastica bona pro sua voluntate plerumque distribuunt, ipsos anathemate decernimus feriendos.* Quo tempore *jus Patronatus* suis è ruderibus, sub quibus per aliquot Sæcula sepultum, & conculcatum delituerat, venustius prodire, novamque formam, eam nempe, qua hodie conspicuum est, induere cœpit. Illud interim non negaverim, Oratoria illa privata occasionem suppeditasse, ut illustre hoc *jus Patronatus* extrueretur, iisque, quibus hodiedum coruscat, juribus, & privilegiis exornaretur, prout id ipsum ante me observavit Van-Espen *cit. tit. 25. cap. 2. num. 13. § seqq.* Dico ergo (ut hanc quæstionem demum absolvam) cum Card. de Luca de

Jur. Patronat. discurs. 55. num. 1. *Jus Patronatus* ex moribus primitivæ Ecclesiæ sua primordia trahere, qui deinde in legem transivere, ab ejusdē tamen Ecclesiæ gratia, & benignitate prodita, ut Ecclesiarum, & Capellarum Fundatores, constructores, & dotatores Patroni efficerentur, atque *Jus Patronatus* acquirerent, cum annexis quibusdam prærogativis, & juribus honorificis, præcipue jure nominandi, sive præsentandi rectorem idoneum ad beneficium per ordinarium instituendum. Vid. *cap. 26. C. 16. Q. 7. cap. 30. § 32. ead. C. § Q. cap. 25. h. t.* Concil. Trid. *Sess. 25. de Reform. cap. 9.*

Jus Patronatus, cum eo tendat, ut eligantur, præsententurque ministri Ecclesiastici, qui spiritualia ministeria obeant, sacrisque operentur, recte juribus spiritualibus, vel ex natura, vel quod probabilius est, per connexionem talibus annumeratur. *cap. 3. de jud. cap. 16. h. t.* Gonzalez ad *cap. 3. de jud. num. 8.* S. Thomas 2.2. *Q. 100. art. 4.* Hoc *jus*, spectando ejus initium, respectu Laicorum est pure gratiosum, cum olim ex fundatione, dotatione, aut constructione nullum *jus* in Ecclesias acceperint, ut constat ex *cap. 3. 4. § 6. C. 10. Q. 1.* sed ad illud primum successu temporis habilitati fuerint, per jura superius allegata, quia tamen hoc privilegium corpori juris insertum fuit, jam non amplius spectatur ut actus gratiæ, sed justitiæ sive, ut *jus commune*, cui nec S. Pontifex, nisi exprimat, derogare intendit. Fagnan. in *cap. 3. h. t. num. 11. § 12.*

Jus Patronatus, prout singulariter sub hac Rubrica consideratur, multifariam dividitur, & quidem I. in Eccle-

eclesiasticum, Laicale, & mixtum. *Ec-*
clesiasticum est, quod competit com-
munitati Ecclesiasticae, vel personis Ec-
clesiasticis intuitu Ecclesiae, ideoque, si
beneficium fundatum fuit ex bonis ad
Ecclesiam spectantibus, erit *Ecclesiasti-*
cum, quia qualitas *Juris Patronatus* (ut
ait Card. de Luca de *Jur. Patron.* di-
scurs. 59. num. 1.) ex qualitate bono-
rum, ex quibus fit erectio, metienda
est. Vel, si quidem erectio beneficii
primitus à Laico ex bonis patrimonialibus
facta sit, postea tamen *Jus Patron-*
natus exinde quaesitum quocunque le-
gitimo titulo Ecclesiae obvenit, simili-
ter *Ecclesiasticum* erit, quod colligitur
ex cap. un. h. t. in 6. ubi Ecclesiae, in
quam Laicus *Jus Patronatus* transtulit,
ad praesentandum spatium *semestre* con-
ceditur, quod evidens juris Patronatus
Ecclesiastici indicium est, ut infra vi-
debimus. Van-Espen d. tit. 25. cap. 2.
num. 7. *Laicale* vocatur, quod intui-
tu beneficii ex bonis patrimonialibus
fundati alicui competit, vel quod quis
successione, aut alio titulo profano ac-
quisivit, sive dein is Clericus, aut Lai-
cus sit. RR. DD. Martinus Resch in
tract. de *Jur. Patronat.* cap. 2. num. 1.
quin, quod si beneficium etiam ex bo-
nis Ecclesiasticis erectum sit, quorum
liberam Clericus accepit vel inter vi-
vos vel mortis causa disponendi facul-
tatem, *Jus Patronatus* exinde resultans
maxime, si haeredibus suis illud refer-
vet, censebitur esse *Laicale*. Garzias
part. 5. cap. 1. num. 594. & seq. Lotter
de re benef. lib. 2. quest. 10. num. 14.
Card. de Luca dict. discurs. 59. num. 10.
Gonzalez ad cap. 5. h. t. num. 3. Van-
Espen d. cap. num. 5. & 9. *Jus Patro-*
natus mixtum audit, quod de utroque

participat, hoc est, quod tam Laico,
quam Ecclesiae competit, vel Clerico
tam intuitu beneficii, quam patrimo-
nii, dum ex utriusque bonis benefi-
cium erectum fuit. Card. de Luca d. l.
num. 20. Estque in hac specie id sin-
gulare, quod *Juris Patronatus* tam Ec-
clesiastici, quam *Laici* privilegia parti-
cipet, cum *Regulare* sit in materia in-
dividua, ut privilegia inter socios fiant
communia, quod exemplis declarat
laudatus RR. DD. Resch d. cap. 2. §. 1.
num. 5. Card. de Luca d. discurs. n. 23.
Fagnan. in cap. 27. h. t. num. 28. & seq.
Quodsi vero inter compatronos con-
venit, ut praesentatio per *turnum*, ut
vocat, instituat (id quod in simili
casu faciendum consulitur in Clement. 2.
h. t.) qualitas *Juris Patronatus* eo casu
ex qualitate *turnarii* metienda erit, ita,
ut *Ecclesiasticum* evadat, si *turnum* exer-
ceat Patronus Ecclesiasticus, *Laicum*
vero, patrono Laico praesentante, arg.
cap. ult. de *Praebend.* in 6. RR. DD.
Resch cit. cap. 2. §. 3. num. 6.

Dividitur II. In *hereditarium*, & 7
Gentilitium, seu *familiare*. Illud di-
citur, quod ad haeredes quoscunque,
etiam extraneos, transit, quale etiam
quodlibet in dubio esse praesumitur.
Barbos. J. E. V. lib. 3. cap. 12. num. 20.
Istud vero, quod tantum relictum est
illis, qui sunt de familia, & genere
primi Patroni; Nota tamen ex Card.
de Luca de *Jur. Patron.* discurs. 60.
num. 30. inter *Jus Patronatus Gentili-*
tium, & *familiare* hoc esse discrimen,
quod ad illud tam *agnati*, quam *co-*
gnati vocentur, ad istud vero soli *agna-*
ti, sive qui per sanguinem masculinum
conjuncti sunt, ac nomen cum insigni-
bus primi acquirentis referunt, quod
si

si denique, qui sunt de familia, simul & hæredes sint, intellige quoad primum acquirentem, & quoad bona familiaria, mixtum vocatur. Card. de Luca hic discurs. 30. num. 3. citans Rotam, & praxim Curie Romanæ, apud quem discurs. 60. num. 17. & 18. etiam illa quæstio: An, & quomodo Jus Patronatus familiare in hereditarium, & vice versa ex voluntate Patroni commutari possit, discussa reperitur.

8 Circa Jus Patronatus hereditarium id porro notandum est, quod filius, si hæres non sit, etiam Jus Patronatus non acquirat. Covarruv. Var. resolut. lib. 2. cap. 18. num. 7. Card. de Luca d. discurs. 60. num. 5. Item, si filius primogenitus succedat in hereditate patris, etiam reliqui liberi à Jure Patronatus excludantur, sicut & filia renuntians hereditati accepta dote, quæ econtra, si cum fratre hæres existat, æque cum illo in hoc jure succedit. Panormit. & Canisius ad cap. 1. h. t. num. 4. Quod si vero pater filium in re certa instituat, scripto extraneo hærede universali, hic solus, excluso filio, qui se instar legatarii hoc casu habet l. 13. C. de hered. instit. in Jure Patronatus succedit. Covarruv. d. l. num. 9. Lambertin. de Jur. Patronat. part. 2. lib. 1. quæst. 2. art. 19. num. 13. nisi forte rei singulari relicta, & universita-

tem continenti v. g. castro, villæ, civitati, vel pago legato jus illud annexum foret. Panormit. ad d. cap. 1. h. t. n. 2. Canisius ad cap. 1. § 2. h. t. num. 5. V. Lambertinum hanc quæstionem fuisse tractantem lib. 1. part. 2. artic. 2. quæst. 16.

Dividitur III. In reale & personale. 9 Illud rei v. g. castro inhæret, istud personam fundatoris, ejusque hæredes sequitur. Discrimen inter utrumque est, quod Jus Patronatus reale ad quoscunque castri possessores transeat c. 13. de Jure Patron. non etiam personale, quod etiam vendito fundo, in quo Ecclesia Patronata fuit constructa, apud fundatorem, ejusque hæredes manet, nec si ob delictum vel primus Patronus, vel ejus hæredes confiscatione bonorum puniantur, hoc jure privatur. P. Engel h. t. num. 17. P. Pirhing ad h. t. num. 57.

Dividitur IV. In activum & passivum. 10 Illud est proprie tale, quod hætenus descripsimus, quando scilicet ad præsentationem Patroni subjectum habile instituitur, nec alteri beneficium conferri potest. Passivum vero denotat præsentationem personæ ex certa familia, ex qua quamdiu Clericus idoneus adest, alius extraneus præsentari, & institui nequit. Barbof. J. E. V. lib. 3. cap. 12. num. 25. & 52.

§. II.

De Modis acquirendi Jus Patronatus.

S U M M A R I A.

11. Jus Patronatus tribus modis acquiritur, fundatione, constructione, dotatione. 12. Num copulative hæc tria concurrere debeant, sub distinctione resolvitur. 13. An fundator, & constructor Ecclesiæ Jus Patronatus acquirit,

rat, si ex oblationibus fidelium spontaneis dos accesserit, discutitur. 14. Ut dotatione acquiratur, dos sufficiens esse debet. 15. Ex reedificatione non aliter acquiratur, quam si Ecclesia totaliter fuerit destructa. 16. Ultrubi-que consensus Episcopi intervenire debet. 17. Expressa reservatione non est opus. 18. An Jus Patronatus referat speciem servitutis? 19. An prater recensitos modos acquirendi Jus Patronatus alii quoque dentur? 20. 21. 22. 23. Latius ex Concilio Tridentino explicatur.

11 **T**res præcipue modi *Jus Patronatus* ab initio, & originaliter acquirendi assignantur tum in Decreto, & Decretalibus, tum in Jure Concilii Tridentini novissimo I. **FUNDATIO** cap. 3. *juncta* Gloss. h. t. cap. 25. Eod. cap. 6. de filiis Presbyt. cap. 26. C. 16. Q. 7. II. **CONSTRUCTIO** cap. 33. C. 16. Q. 7. dict. cap. 25. h. t. III. **DOTATIO** cap. 31. C. 16. Q. 7. cap. 3. de Eccles. edific. qui modi confirmantur à PP. Tridentinæ Synodi Sess. 14. de Reformat. cap. 12. Sess. 25. cap. 9. unde vulgatus ille Glossæ in cap. 26. C. 16. Q. 7. Versus:

Patronum faciunt Dos, edificatio, fundus.

Fundasse igitur (hoc verbum stricte sumendo) Ecclesiam is dicitur, qui fundum, sive terræ solum concessit, in quo illa construeretur. *Edificasse*, qui suis impensis eam construxit, nec enim ad fabros, aliosque operarios, qui constituta mercede operas suas locant, hæc constructio referenda est, *dotasse* vero is dicitur, qui pro necessariis Ecclesiæ & ejus ministrorum annuos redditus sufficientes assignavit cap. 9. de Consecr. dist. 1.

12 Num vero ad acquirendum *Jus Patronatus* recensiti tres modi simul concurrere, adeoque fundatio, constructio, & dotatio *copulative* requiratur,

vel sufficiat *disjunctivè* uno ex his modis munificentiam suam Ecclesiæ probasse, non una est omnium Sententia, uti videre est apud Gonzalez ad cap. 25. h. t. num. 3. Pax Jordan lib. 10. tit. 7. num. 29. Card. de Luca de Jur. Patron. discurs. 55. num. 21. Corvinum de Benef. Eccles. lib. 5. tit. 9. num. 18. Fagnan. in cap. 3. h. t. num. 26. & seqq. Van-Elpen J. E. V. part. 2. tit. 25. cap. 3. num. 5. & seqq. Pignatell. tom. 9. consult. 82. num. 82. & seqq. Franc. Pitonius de Controv. Patron. tom. 2. allegat. 54. num. 24. Mihi cum laudato Pignatello cit. Consult. num. 86. & RR. DD. Martino Resch d. tract. cap. 5. n. 3. sic placet distinguere: ut Ecclesia aliqua dicatur *Patronata*, & *Jus Patronatus* quoad omnes suos effectus in unico subiecto *privativè* subsistat, omnes dictæ beneficentiæ modos scilicet *fundationem*, *constructionem*, & *dotationem* *collective* requiri: sin vero *Jus Patronatus* ita constituatur, ut pluribus *cumulative* competat, sufficiet *disjunctivè*, vel fundasse, vel construxisse, vel dotasse Ecclesiam, ita, ut si unus det fundum, alius edificet, & tertius dotem constituat, idque cum consensu Dioecesani fiat, omnes *pro indiviso* Patroni efficiantur. Ratio primi membri est, quod ad Ecclesiam, ut dicatur rite & legitime fundata, & constructa, per SS. Canones etiam requiritur, ut sit

fit sufficienter dotata *cap. 8. de Consecrat. Eccles. cap. 26. § seq. C. 16. Q. 7.* imo dotatio ipsam Ecclesiæ constructionem præcedere debet *cap. 9. de Consecrat. dist. 1. Nov. 67. cap. 2.* unde, qui ædificat Ecclesiam, tacita quadam obligatione ad eam dotandam obstringitur. *arg. l. 38. ff. de A. vel O. H.* ergo ut Ecclesia censeatur legitime fundata, & multo magis, ut dicatur *Patronata*, hæc tria, fundatio, constructio, & dotatio separari non possunt, cum *fundatio* in sensu juris etiam complectatur *constructionem*, & *dotationem*, ut pluribus perhibet Franc. le Roye in *Prolegom. ad Comment. de Jur. Patronat. cap. 13.* Deinde, cum Jus Patronatus ex parte Patroni sit *honorificum*, *onerosum*, & *utile* (de quo copiose in sequentibus agitur) necessum est, ut simul concurrant fundatio, constructio, & dotatio: Quomodo enim honor Patrono fundum duntaxat offerenti in Ecclesia exhibeatur, quæ constructa nondum est? Quomodo Patronus inops alimenta ab Ecclesia petat (id quod ejus jus *utile* est) cui dos nulla? Quam sollicitudinem ei pariat Ecclesia, quæ, utut dotata, necdum tamen fundata, aut constructa est? Unde consequens est, quod ad hoc, ut quis Jus Patronatus *privativè*, & quoad omnes effectus juris consequatur, Ecclesiam & fundare, & construere & dotare debeat. II. Membrum probatur ex supra allatis textibus nimirum ex *cap. 26. 27. 30. § seq. C. 16. Q. 7. cap. 2. C. 18. Q. 2. cap. 25. h. t. & Concil. Trident. Sess. 25. de Reform. cap. 9.* ubi prædicti modi acquirendi Jus Patronatus cum dictione *alternativa* ponuntur, adeoque si unus fundet, alter construat, ter-

tius dotet Ecclesiam, singuli Jus Patronatus consequentur, quia conjunctim Ecclesiam à non esse ad esse deduxerunt. Panormitan. *Consil. 6. num. 2. RR. DD. Resch. cit. cap. 3. n. 3. in fin.*

Quid ergo, si aliquis fundum pro¹³ exstruenda Ecclesia concesserit, eamque insuper construxerit, cui deinde ex eleemosynis, vel aliis oblationibus fidelium dos sufficiens accessit, an non talis fundator Jus Patronatus sibi acquireret? Videtur affirmandum, saltem quoad jura *honorifica*, propter auctoritatem S. Rotæ, quæ in *Calaguritana Jurispatronatus, Veneris*, 16. Februarii 1629. coram Emin. Card. Virile, & iterum in *Januensi juris honorifici, Veneris*, 17. Maji 1630. coram R. P. Pirovano hanc quæstionem affirmative decidit, ex ratione, quod Ecclesia hoc pacto deducatur de non esse ad esse, & cum constructor faciat expensas considerabiles, equum est, ut in illa Ecclesia honoretur, & invitentur Christi fideles ad similia peragenda. Utramque decisionem lege sis apud Tambur. tom. 3. post finem num. 28. § seq. His Decisionibus eatenus assurgo, ut eas duntaxat in Ecclesiis *regularium*, de quibus sunt conceptæ, procedere existimem, ex hac peculiari ratione, quod alias in Ecclesiis Regularium, tametsi Laicus eas fundaverit, construxerit, & simul dotaverit, Jus Patronatus saltem quoad principalem ejus effectum, nempe Prælati præsentationem citra speciale Privilegium Apostolicum non acquirit, *cap. 25. h. t.* quia electio Prælati pertinet ad Religiosos, nec Laicus se eidem immiscere potest *cap. 51. § 56. de Elect. Pax Jordan cit. lib. 10. tit. 7. num. 32.* Card. de Luca de *Jur. Patron.*

Uu

di-

*discurs. 55. num. 14. & in Summa Juris-
patr. num. 24. Pignatell. cit. Consult.
n. 94. Eminent. Petra tom. 3. pag. 62.
num. 11. 18. & 19. e contra in aliis Ec-
clesiis inferioribus cum Laici Jus Pa-
tronatus quoad omnes effectus acqui-
rere possint, si suæ liberalitati in fun-
dando & construendo limitem non
posuerint, sed Ecclesiam à se funda-
tam & constructam competenti quo-
que dote instruxerint, cessat ratio, ob
quam ipsis jus honorificum Patrona-
tus ex sola fundatione, vel constru-
ctione concedatur, tametsi ex oblatio-
nibus, & eleemosynis fidelium con-
grua dos ex intervallo accesserit. Et
hanc meam opinionem similiter con-
firmo ex Decisione Rotali, quam re-
fert Pitonius tom. 2. de Controv. Pa-
tron. allegat. 54. num. 25. his verbis:
„ Quod si Ecclesia fuerit dotata, &
„ fundata ex oblationibus & eleemo-
„ synis, sola vero constructio fuerit.
„ peracta per alterum, iste non ac-
„ quirat Jus Patronatus, me scribente
„ firmavit Rota in Senogalliens. funda-
„ tionis 13. Decemb. 1709. §. in hoc
„ rerum statu coram Eminent. D. Car-
„ dinali Priolo, ibi: Cum autem Cui-
„ dobaldus assignaverit fundum, absque
„ reservatione Juris Patronatus & dota-
„ tio efformata sit ex investimentis, & do-
„ nationibus Monasterii factis, communi-
„ tas ex sola constructione, quatenus de
„ proprio edificasset, Jus Patronatus mi-
„ nime acquirere potuisset. „ Confirma-
„ ta 16. Maji 1710. §. sed quatenus
„ coram Reverendiss. Domino Molines
„ Decano. Unde nec talem fundato-
„ rem jus presentandi sibi reservare pos-
„ se, nec Episcopum eidem hoc jus in-
„ dulgere, credit Zypæus de Jur. Patron.*

*respos. 3. num. 3. ubi sic scribit: „ qui
„ ergo vilem tantum aream dederit,
„ nihil de suo aliud in dotem, vel stru-
„ cturam contulerit, Patronatum ac-
„ quirere non potest; nec hujusmodi
„ nomen, magna nimis secum jura
„ trahens, explicita in nobis, ei Epi-
„ scopus reservare. Quid ergo in com-
„ pensationem suæ liberalitatis accipiet?
„ Benefactor quidem dici potest (re-
„ ponit Zypæus d. l.) & honor aliquis
„ sessionis, processioneis, sepultura &c.
„ ex arbitrio Episcopi ei deferendus
„ de erni.*

Pro ulteriori illustratione hujus ma-
teriae notabis I. ut ex dotatione quis
consequatur Jus Patronatus modo ex-
plicato, dotem debere esse sufficien-
tem, secus talis non Patronus, sed be-
nefactor dicetur. Azor part. 2. c. 19.
Q. 6. similiter, si quis ad dotem jam
constitutam additionem fecerit, quia
tunc non tam dotare, quam ditare Ec-
clesiam censetur. Card. de Luca de
Jur. Patron. discurs. 12. num. 5. nisi sor-
te Ecclesia in eum paupertatis statum
reducta sit, ut dotem prius constitu-
tam amiserit, tunc enim augmentum
dotis succedet in locum primæ dota-
tionis, & dotanti Jus Patronatus ad-
diciet, modo tamen ita dotans protelle-
tur verbis expressis, se hanc liberalita-
tem exercere, animo acquirendi Jus
Patronatus, aut saltem ex conjecturis
hæc intentio colligi possit, qualis con-
jectura pro animo dotandi esse pote-
rit, si consensum Episcopi adhibuerit,
cum in donatione simplici, & libera
ejus consensus non requiratur. cit.
Card. de Luca discurs. 55. num. 17. &
18. RR. Resch d. cap. 3. n. 5.

Notabis II. etiam ex reedificatio-
ne

ne Jus Patronatus acquiri posse, sed hoc ita, si Ecclesia totaliter destructa ex integro reaedificetur *arg. l. 1. §. penult. ff. Quib. mod. ususfr. amitt.* quia etiam hoc casu Ecclesia per novam reaedificationem de non esse ad esse deduci dicitur. *Nov. 67. cap. 2.* censetur autem tunc de novo reaedificata, si nova consecratione Episcopi opus fuerit. Priori tamen Patrono per hoc Jus Patronatus non aufertur, supposito, quod illud non modo per constructionem, sed etiam fundationem, & dotationem acquisiverit, sed saluum manet, ita, ut utrique in solidum competat: unde ne ex multiplicatione Patronorum Ecclesiæ gravetur, aut communio, quæ est discordiarum seminarium *l. 77. §. 20. ff. de Legat. 2.* invitis imponatur, consultum esse censet Fagnan. *ad cap. 3. h. t. num. 57.* ut Episcopus prius primum Patronum requiratur, an illi reaedificare collubitum sit. V. Pignatell. *d. Consult. 82. num. 87. §. seq.*

16 Notabis III. Consensum quoque Episcopi intervenire debere, ut Jus Patronatus ex prædictis causis acquiratur *cap. 26. 27. §. 35. C. 16. Q. 7. cap. 25. h. t. Nov. 67. cap. 1.* quia interest Episcopi, exploratam habere tum qualitatem, & conditionem dantis, tum quantitatem dotis, & quia insuper Laicis similia jura spiritualia sibi propria autoritate asserere non convenit. Card. de Luca *discurs. 55. num. 2.* RR. DD. Resch. *d. cap. 5. n. 10.* cum aliis ibidem relatis, sufficere tamen si consensus Episcopi Ecclesiæ ædificatæ superveniat, cum Panormitano, & aliis judicat Barbof. *de potest. Episc. part. 3. allegat. 70. n. 21.*

Notabis IV. Ad Jus Patronatus acquirendum, si prædicta omnia intervenierint, expressa reservatione non esse opus, modo eidem expresse renuntiatum non fuerit *cap. 25. h. tit. cap. 41. de testib.* Card. de Luca *cit. discurs. num. 3.* nec sibi præjudicat Patronus, tametsi Jus Patronatus sibi expresse stipulatus sit, cum superabundans cautela nunquam noceat, *arg. l. 2. ff. de Evict. l. 6. C. eod. RR. Resch. cit. cap. num. 10. in fin.*

Notabis V. Juxta multos Jus Patronatus referre speciem servitutis *arg. Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. cap. 9.* ac propterea Patrono accommodandam esse actionem confessoriam utilem, nihilominus Panormitano in *cap. 3. h. t. num. 9.* & Franc. le Roy in *prolegom. ad tit. de Jur. Patronat. cap. 5.* videtur esse aliquod jus distinctum pro remuneratione beneficii Patrono à SS. Canonibus concessum, quippe qui nullum jus in Ecclesiarum collatione sibi arrogat, sed in id duntaxat ejus sollicitudo tendit, ut de idoneo rectore Ecclesiæ prospiciatur, & sic libertatem Ecclesiæ non tam imminuere, quam augere & adjuvare videtur, quod sua probabilitate non caret. V. Espen *cit. tit. cap. 5. num. 7.*

An præter recensitos non super sint alii tituli acquirendi Jus Patronatus, quæri potest. Ut huic quæsito satisfiat, referenda & declaranda sunt verba Concilii Tridentini *Sess. 25. de Reform. cap. 9.* ubi PP. ita decreverunt: *Sicut legitima Patronorum jura tollere, piâsque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est: sic etiam, ut hoc colore beneficia Ecclesiastica in servitutem, quod à multis im-*

Uu 2

pe-

*pudenter sit, redigantur, non est permit-
tendum. Ut igitur debita in omnibus
ratio observetur, decernit S. Synodus ut
titulus juris Patronatus sit ex fundatio-
ne, vel dotatione, qui ex authentico do-
cumento, & aliis jure requisitis osten-
ditur, sive etiam ex multiplicatis præ-
sentationibus per antiquissimum tempo-
ris cursum, qui hominum memoriam
excedat, aliâve secundum juris disposi-
tionem. Ex quibus verbis imprimis
colligere licet PP. sollicitudinem in
conservando Jure Patronatus iis, qui-
bus de jure competit, & in vindican-
da libertate Ecclesiarum, ne per mo-
dos jure non probatos in servitutem
redigantur. Deinde ex his verbis si-
mul elucescit, regulares modos acqui-
rendi jus Patronatus duntaxat esse fun-
dationem & dotationem, non exclusâ
constructione, ut observat Zerola in
Prax. Episc. part. 1. V. Jus Patronatus
§. 2. v. 3. Barbof. in Collect. ad d. cap.
Trid. num. 1. quibus adjungitur titu-
lus extraordinarius, scilicet præscriptio
immemorialis, qua mediante etiam jus
Patronatus acquiri posse PP. conce-
dunt, ac insimul præcipiunt, ut, qui
posthac hoc jure gaudere volunt, il-
lud ex authenticis documentis, & ex
repetitis præsentationibus per cursum
temporis, qui hominum memoriam
excedat, factis comprobent. Sufficiet
autem alterutro modo, vel per instru-
mentum originale ipsius foundationis
vel dotationis etiam sine aliqua præ-
sentatione fidem facere, aut producere
præsentationes per tempus immemo-
riale multiplicatas, tametsi nullum in-
strumentum foundationis vel dotationis
ostendatur, neque etiam in dictis præ-
sentationibus alicujus foundationis, vel*

*dotationis mentio fiat, quia ex præsen-
tationibus per tempus immemorale
continuatis, & ad effectum deductis
Lex præsumit titulum foundationis,
quæ præsumptio, utpote juris, & de
jure fortior est illa, quæ fit per instru-
mentum. Et ita declarasse S. Congre-
gationem Concilii refert Pignatell. d.
tom. 9. Consult. 82. num. 6. & 7. V. Bar-
bof. ad h. loc. Concil. num. 3. & 4. Nec
præscriptio extraordinaria cum titulo
scilicet præsentationis hic sufficiet, licet
in aliis materiis id procedat per cap. 1.
de Præscript. in 6. quia Concilium tem-
pus immemorale expresse requirit;
Nec illa verba Decreti, aliâve secun-
dum juris dispositionem, ad tempus re-
ferenda sunt, sed ad causas, aliâque
modos, quibus de jure veteri jus Pa-
tronatus probari potest. Pignatell. d.
Consult. num. 13. Van-Espen d. tit. 25.
cap. 3. num. 17. & 18.*

Pergunt porro PP. Concilii hanc
concessionem ita restringere: *In iis ve-
ro personis, seu communitatibus vel uni-
versitatibus, in quibus id jus plerumque
ex usurpatione potius quæsitum præsu-
mi solet, plenior & exactior probatio
ad docendum verum titulum requira-
tur, nec immemorabilis temporis pro-
batio aliter eis suffragetur, quam si præ-
ter reliqua ad eam necessaria, præsen-
tationes etiam continuatæ, non minori
saltem, quam quinquaginta annorum
spatio, quæ omnes effectum sortitæ sint,
authenticis scripturis probentur. Per
has personas intelliguntur in hoc De-
creto Domini civitatum, castrorum,
aut locorum, ut sunt Duces, Marchio-
nes, Comites, Barones, alique Ma-
gnates perpetuam jurisdictionem ha-
bentes, item Magistratus seu illa Colle-
gia,*

gia, & corpora ficta, quæ loci universum populum repræsentant, contra quos ex dispositione Concilii pugnat præsumptio, quod *jus Patronatus* in beneficiis intra territorium suum sitis sibi per usurpationem asseruerint, ideoque exactiorem probationem tam in petitorio quam possessorio ab illis exigere voluit, & ita sapius censuit S. Rota Decis. 421. num. 1. & Decis. 756. n. 3. part. 2. Recent. & testatur Theodos. de Rubeis in singular. Rota part. 2. V. *Jurispatronatus* §. 5. pag. 59. V. Barbof. ad h. l. Concil. num. 33. & seqq. Card. de Luca in Annot. ad Concil. Trid. Discurs. 11. num. 2. & 3. & per tot. & de *Jur. Patron.* discurs. 58. n. 1.

21 Quo indemnitati, & libertati Ecclesiarum, ac beneficiorum magis consulere PP. Concilii, in dicto Decreto *Jus Patronatus* in aliis beneficiis quibuscunque, & privilegia nominandi, ac præsentandi, eorumque possessionem ex toto cassarunt, & abrogarunt, exceptis Patronatibus, qui alicui super Ecclesia aliqua Cathedrali, & qui super aliis beneficiis Imperatori, Regibus, sublimibus Principibus, regna habentibus, nec non studiis Generalibus, sive Academiis concessi sunt. Tenor Decreti sic habet: *Reliqui Patronatus omnes in Beneficiis, tam Secularibus, quam Regularibus, seu Parochialibus, vel Dignitatibus, aut quibuscunque aliis Beneficiis, in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, seu Facultates & Privilegia concessa tum in vim Patronatus, quam alio quocunque jure nominandi, eligendi, præsentandi ad ea, cum vacant (exceptis Patronatibus, super Cathedralibus Ecclesiis, competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem,*

& Reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Principes, jura Imperii in dominiis suis habentes, pertinent, & quæ in favorem studiorum generalium concessa sunt) in totum prorsus abrogata, & irrita, cum quasi possessione inde secuta, intelligantur. Beneficiaque hujusmodi, tanquam libera, à suis collatoribus conferantur, ac provisiones hujusmodi plenum effectum consequantur.

Pro uberiori explicatione hujus 22. Decreti nota I. omnia privilegia, utut prægnantissimis terminis & clausulis concepta, quæ super jure præsentandi, vel eligendi ad beneficia aliàs libera olim concessa fuerunt, per hanc Conciliarè Constitutionem revocari, etiam si privilegiati in usu horum privilegiorum per immemorabile tempus constituti fuissent, & ita declarasse S. Congregationem Cardinalium testatur Garzias part. 5. cap. 9. num. 108. quod tamen ita limitat Card. de Luca in Annot. ad Concil. Trid. discurs. 11. n. 33. & de *Jur. Patron.* discurs. 65. n. 9. ut hæc Conciliaris revocatio duntaxat in privilegiis mere gratuitis procedat, non etiam, quæ sibi aliquam causam onerosam admixtam habent, v. g. ubi privilegiatus augmentum dotis, vel re-staurationis attulit, aut aliud onus in Ecclesiæ commodum sponte subiit.

Nota II. ex Fagnano in cap. 19. h. t. 2. num. 9. ad validitatem præsentationis, vel institutionis non sufficere, ut præsentans communiter reputetur Patronus, & sit in quasi possessione juris præsentandi, nisi doceat de titulo, & proprietate Juris Patronatus juxta præscriptum Concilii. Addit dein num. 7. Decretum hoc ex Declaratione Cardi-

Uu ;

na-

nalium habere locum etiam in *petitorio*, & *possessorio*, adeoque admittendam non esse presentationem, nec presentati institutionem faciendam esse, nisi probato prius Jure Patronatus juxta prescriptum S. Concilii. Quin & addit num. 11. S. Congregationem resolvisse, ad presentationem admittendum non esse, tametsi probaverit, se per quadraginta annos presentasse, & in quasi possessione fuisse. Quodsi vero de jure Patronatus quidem constet, lis vero inter duos vertatur, cui competat, eo casu, ait Fagnan. n. 16. non requiri formam probationis per Concilium Tridentinum prescriptam, atque inter presentatos preferendum

esse presentatum ab illo, qui tempore presentationis erat in quasi possessione juris Patronatus, & ita quoque à S. Rota in Tirafonenfi juris Presentandi 16. Octobris 1592. coram Blanchetto, & iterum in Pisana Capellania 20. Maji 1594. coram eodem decisum fuisse refert Garzias part. ult. cap. 2. num. 241. V. Pignatell. d. consult. 82. n. 81. Vide laudatum Card. de Luca d. discurs. 65. & Pax Jordan lib. 10. tit. 7. de Jur. Patron. à num. 67. & consequenter usque ad num. 123. Pignatell. d. l. à num. 9. usque ad num. 31. qui sensum dictæ Conciliaris dispositionis uberius explanant.

§. III.

Quomodo Jus Patronatus jam constitutum ab uno ad alterum transferatur?

S U M M A R I A.

24. Jus Patronatus transfertur in alium vel per dispositionem inter vivos, vel ultima voluntatis, vel ab intestato. 25. Quomodo ultimis his duobus modis transferatur? 26. Quis ordo observandus sit, si ex pluribus Patronis unus plures heredes reliquit? 27. Duplex providendi modus in hoc casu recensetur. 28. Quem rejicit Bœbmerus, & insimul ipse rejicitur. 29. An jus Patronatus hereditarium in fideicommisso universali in heredem fiduciarium, vel fideicommissarium transeat? Argumenta pro herede fiduciario & fideicommissario promuntur. 30. Favemus heredi fiduciario. 31. An jus Patronatus legato relictum in alium transferri possit, sub distinctione resolvitur. 32. 33. 34. An jus Patronatus per successionem hereditariam in Monasterium transeat, distinctis Conclusionibus explicatur. 35. An jus Patronatus alteri donari possit? 36. Jus Patronatus solitarie spectatum sine Simonia vendi nequit, bene vero accessorie v. g. cum castro. 37. Bœbmeri circa hanc questionem error refellitur. 38. Jus Patronatus oppignorato castro in creditorem antichreticum transire defendit Bœbmerus. 39. Negant alii, quibus nos accedimus. 40. An prædio locato jus Patronatus eidem inherens in conductorem quoad exercitium transeat? 41. Negamus.

42. Marito competit jus presentandi, si castrum, cui jus Patronatus annexum est, ei in dotem datum sit. 43. De bone fidei possessore, & sequestro eadem questio recurrit. 44. Prescriptione jus Patronatus in alterum transferri posse asserimus. 45. An confiscatis bonis ad fiscum jus Patronatus transeat? 46. Nos in hoc casu fisco non patrocinaur.

24 **D**uplici omnino via jus Patronatus ab uno ad alterum commigrare potest, scilicet per successionem tam testamentariam, quam legitimam, cap. 35. C. 16. Q. 7. cap. 1. § 2. h. t. Clem. 1. eod. & per actus inter vivos v. g. donationem, permutationem, venditionem &c. cap. 40. C. 16. Q. 7. cap. 13. § seq. h. t.

25 Per Successionem, tam legitimam quam testamentariam jus Patronatus, si simpliciter hereditarium fuerit, ad omnes heredes, etiam extraneos, devolvitur, qui illud tum demum exercere possunt, cum se immiscuerunt hereditati (loquor de suis) aut, si extranei fuerint, à tempore aditæ hereditatis. Paulus de Citadin. part. 9. Quomodo transfer. jus Patron. num. 9. In Gentilitio illi, qui sunt de Gente, & familia primi Patroni, jus Patronatus per successionem ad se transferunt, juxta explicationem num. 7. h. t. traditam.

26 Quoad modum succedendi ne in presentando confusio oriatur, hunc ordinem in Clem. 2. h. t. Pontifex præscripsit. Si ex pluribus Patronis unus plures heredes reliquit, v. g. si tres fuerint Patroni, unus ex fundatione, alter ex constructione, tertius ex donatione, primus autem decesserit, relictis decem filiis, reliqui vero duo adhuc vivant, omnes illi decem heredes unam personam defuncti representent, & ille presentatus præferatur,

qui vel à duobus Patronis adhuc viventibus, vel à dictis decem heredibus, & uno ex superstitibus presentatur, sicque in hoc casu successio fit in stirpes, non vero in capita. Quodsi ab initio unus tantum fuerit Patronus, qui relictis pluribus heredibus decessat, successio fit in capita, & quisque heredum unam vocem habebit, sin vero unus horum, aut omnes heredes decesserint, relictis aliis heredibus, tunc rursus successio fiet in stirpes, & heredes unius habebuntur pro uno, unamque vocem fortientur, quia veniunt jure representationis, ubi insimul nota, quod in ejusmodi presentatione, quæ fit per plures, qui in stirpes succedunt, non sufficiat majoritas votorum respectiva, sed requiratur absoluta, hoc est respectu omnium patronorum votum distinctum habentium. Aliud foret, si plures presentarent ut singuli, quo casu non negamus, majoritatem votorum etiam respectivam sufficere. Vid. RR. DD. Resch. cit. tract. cap. 6. num. 3.

Ut porro facilius provideatur Ec-27-
clesiis Patronatis, Pontifex in d. Clem. 2. alios duos modos presentandi suggestit. I. Ut inter Patronos turnus observetur, hoc est, ut inter se convniant, de Rectore ab eis alternis vicibus presentando, quod rursus dupliciter fieri potest, vel ut turnarius seorsim nulla facta mentione compatronorum presentet, & ita jus Patronatus

tus pro ea vice solus exerceat: vel ut *turnarius* suo & reliquorum nomine præsentet, quo casu jus Patronatus proprie per *turnum*, vel *vices* non dividitur, sed tantum inter Patronos conventum videtur, quod in illam personam simul consentient, quam alter ipsorum alternis vicibus nominabit. Van-Espen d. tit. cap. 4. num. 23. & seq. Quod si nec iste modus ardeat, Patronis (intellige Laicos) singulis integrum erit, singulos candidatos præsentare, ea tamen lege, ut unus ex præsentatis ab Episcopo eligi, & admitti possit.

28 Quid de hac optione à Pontifice concessa Bæhmerus? Hæc gratiosa, ut putatur, permissio (inquit §. 119. h. t.) est periculosa admodum *muscipula*, quibus, ut suprà ostendi, incauti capiuntur Laici, imo hunc, meo iudicio, in finem publice exposita, ut in eam inciderent. Quod si singuli seorsim præsentant, jus eligendi, & conferendi penitus devolvitur ad Episcopum, id quod unice addicti Sedi Romanæ intendunt, optant, agunt. Nunquam prudens, rerumque peritus heredibus pluribus auctor esse poterit, ut ea facultate à Pontifice concessa utantur, nisi qui eos in manifestum deceptionis discrimen deducere vellet. Si una vel altera vice Episcopo **JUS ELIGENDI** per indirectum concessum, quid aliud expectandum, quam ut jus quoddam **CONSTANS, PERPETUUM, & IRREVOCABILE** in posterum ex actibus hisce sibi asserturus sit? Qui semel in ejusmodi laqueos inciderit, difficulter se extricare poterit. **PRINCIPIIS OBSTA.** Sed quid consilio hoc suo profecit Bæhmerus? ex nostris, quod sciam, nemo hactenus fuit, qui

pro fide monendi eidem gratias dixisset. Ingenium ejus ad fallendum compositum oratio prodit; hinc *muscipulam* hanc, qui sapiunt, fugiunt omnes. Mihi fucata ejus verba sæpius risum, rarius stomachum hactenus moverunt, unde, quod *Thais de Thrasone* (ut est apud Terentium in *Evnuch. Act. 4. scen. 6.*) ego de Bæhmero dicere habeo: usque adeo ego illius ferre possum ineptias, & magnifica verba, verbum dum sint. Verum enim, si ad rem conferentur, vapulabit. Plures adhuc se offerunt quæstiones, ad materiam hujus §. spectantes, quas subinde hic excutiemus.

Quæres I. An jus Patronatus hæreditarium in fideicommissio universali penes hæredem fiduciarium remaneat, num vero in fideicommissarium transeat? Hæredi fiduciario favet S. Rota tam in antiquis, quam Recentioribus Decisionibus, quas adducit Card. de Luca de *Jur. Patron. discurs. 36. num. 3.* Hancque Sententiam magis communem esse multis relatis testatur Pergrinus de *fideicomm. artic. 6. num. 37.* & alii apud Knipschildt de *fideicomm. famil. cap. 10. num. 106.* fundant se in l. 42. ff. ad *SC. Trebell.* ubi de jure Sepulchrorum cavetur, quod restituta hæreditate apud hæredem fiduciarium maneat, ergo idem dicendum de jure Patronatus. Addunt rationem, quod jus Patronatus, tametsi hæreditarium sit, & ad extraneos transeat, non tamen jure hæreditario capiatur, eo, quod non sit jus reale, sed personale. Verum hanc Sententiam potius secundum principia Juris Civilis (quod fieri non deberet) quam secundum Canones procedere, nec ullo probabili funda-

damento niti scribit Card. de Luca *d. discurs. n. 4.* quo insimul *num. seq.* testatur, S. Rotam jam sæpius pro hærede fideicommissario pronuntiâsse, quoties nempe vel levis conjectura de contraria fideicommittentis voluntate appareret. Quod ipsum repetit *discurs. 60. num. 3.* scribens: „Ista quæstio est pueri facti, & ambiguae voluntatis, certam ac determinatam Regulam non recipiens, sed ad instar aliarum ambiguae voluntatis quæstionum, quas præsertim adeo frequentes habemus in hac fideicommissaria materia, decisis pendeat ex singulorum casuum qualitate, ac circumstantiis, modo admissionem, modo rejectionem aliorum adminiculorum, vel præsumptionum suadentibus, ita tamen, quod juxta magis fundatum, ac judiciosum modernorum sensum, rejectis antiquorum Leguleicis scrupulositatibus, deductis ex sensu Juris Civilis de diverso jure Patronatus, seu jure sepulchrorum juxta Ethnicos mores potius disponentis, de facili hac voluntas includendi jus Patronatus in fideicommissum, admitti debeat, etiam ex levibus & generalibus adminiculis ita deservientibus pro quadam formalitate conservandi regulam, atque ab ea recedendi per viam limitationis. Hæc ad verbum Card. de Luca *d. loc.* Et quidem in fideicommissis familiæ quod id minus dubii habeat, ex eo ostendit purpuratus hic Author *d. discurs. 36. num. 6.* quod beneficia intentione fundatorum non solum erigi soleant causa pietatis, sed etiam, ut memoria beneficii per jus Patronatus tanquam jus honorificum conservetur in posteris, quippe quod

non tam facile amissibile est, ut feuda, castra, aliaque bona temporalia, unde conjectura satis fundata est, voluisse primum fideicommittentem, ut splendor hujus juris perpetuo in familia conservaretur, ejusque fructus nobiles hæredem fideicommissarium jugiter comitarentur.

Ego cum S. Rota à partibus hæredis fiduciarii isto, ita, ut censeam, stricto jure *jus Patronatus* in fideicommissarium non transire, prout hoc ipsum jam innui *ad tit. de testam. §. 10. num. 221.* Non equidem hæc opinio clara lege nititur, ex lege tamen non obscure deducitur, quod sic ostendo: illa bona in fideicommissum restituenda veniunt, à quibus hæres fiduciarius *Quartam Trebellianicam* deducere potest, atqui à jure Patronatus Trebellianicam deducere nequit: ergo. Majest certa, quia antequam quartam deducat hæres fiduciarius, omnium bonorum hæreditariorum æstimatio fieri debet, eum in finem, ut æqua partitione facta tres partes obveniant fideicommissario, pars quarta fiduciario salva maneat. *§. 6. & passim J. de fideicommiss. hered. min.* probatur. *Jus Patronatus* utpote spirituale, vel spiritali annexum non venit in æstimationem *cap. 16. b. t.* ergo nec in restitutionem. Quia tamen testator deductionem Trebellianicam prohibere potest, argumento à Legatis desumpto *Nov. 1. cap. 2. Stryck. de Cautel. testam. cap. 22. memb. 1. §. 16.* ita quoque testator ordinare potest, ut *Jus Patronatus* non penes hæredem fiduciarium maneat, sed ad fideicommissarium transeat, id quod etiam in dubio facere voluisse præsumimus juxta dicta Card. de Luca

X x

ca

ca & Decisiones Rotæ ab eo addu-
ctas.

31 Quæres II. An Jus Patronatus per
legatum in testamento relictum in aliū
transferri possit? Resp. sub distinc-
tione: aut *Jus Patronatus* est reale, an-
nexum v.g. castro, vel prædio; vel si
est *Personale*, testator illud legat com-
patrono suo: aut denique illud legat
Laico extraneo? Prioribus duobus ca-
sibus valet, & subsistit translatio, etiam
non interveniente consensu Episcopi
cap. 7. § 13. h. t. non item casu po-
steriori, nisi cum consensu Episcopi,
Card. de Luca *discurs. 56. num. 6.* qui
tamen ex intervallo quoque accedere
potest. Panormit. ad *cap. 13. h. t. n. 6.*
ita, ut interim, dum Episcopus con-
sentiatur, penes hæredem universalem
Jus Patronatus maneat. RR. DD. Resch
d. tract. cap. 6. §. 1. num. 8.

32 Quæres III. An Jus Patronatus per
successionem hæreditariam in Mona-
sterium transeat, & quomodo? Resp. I.
si Monasterium (loquor de bonorum
capaci) hæres à Patrono Laico institu-
tum est, tunc unacum universitate bo-
norum etiam accessorie *Jus Patrona-
tus* transit *arg. l. 10. in fin. ff. de Le-
gat. 2. l. 24. in fin. ff. de Contrah. empt.*
Corvinus de *Benef. Eccles. lib. 5. tit. 9.*
num. 48. & alii ibidem relati.

33 Resp. II. Si Patronus Laicus Reli-
gionem profiteatur, & bona sua, &
quod eis annexum est, *Jus Patronatus*
in Monasterium transfert. Auth. in-
gressi C. de SS. Eccles. Novell. 5. cap. 5.
quod si vero tale Jus Patronatus esset
Gentilitium, adeoque jure sanguinis ad
talem Patronum professum delatum,
esset, tunc Monasterium jure præsen-
tandi eousque tantum gaudebit, quo-

ad Religiosus Patronus superstes fuerit,
post ejus vero obitum rursus ad hæ-
redes consanguineos revertetur. Tam-
bur. de *J. A. tom. 3. disput. 9. Quæst. 23.*
num. 1. § 2. seqq.

Resp. III. Si *Jus Patronatus* com-
petat semper Seniori de familia, adeo-
que ab hæreditate sejunctum sit, Reli-
giosa professio non obstat, quominus
talis Senior familiæ, si Monasterium
ingrediatur, jus præsentandi privativè
exercere, adeoque Jus Patronatus re-
tinere valeat, quia sub renuntiatione
omnium bonorum, quæ à Novitio
ante Professionem fieri debet, non
comprehenduntur jura spiritualia, vel
quasi talia, ut est *Jus Patronatus cap. 3.*
de *Judic. S. Thomas 2. 2. Q. 186. art. 3.*
ad 4. & ideo Religiosus super jure eli-
gendi, alimentorum, super beneficio,
si quod habet, nomine proprio agere
potest, nec ejusmodi juribus per pro-
fessionem privatur. Navarr. de *reditib.*
Q. 1. monit. 9. Lessius de *J. § 7. lib. 2.*
dub. 5. num. 26. Late Pignatellus cit.
consult. 82. num. 109. § 4. seqq.

Quæres IV. An *Jus Patronatus* ti-
tulo *Donationis* in alium transferri pos-
sit? Ad hanc quæstionem easdem Re-
sponiones repetimus, quas in *Quæst. 2.*
de *Legato* dedimus. Cæterum viden-
di sunt. Card. de Luca *discurs. 56. n. 7.*
§ seqq. Corvinus *d. tit. n. 45.* Clariss.
P. Böckn in *Comment. ad h. t. num. 25.*
DD. Resch. *d. cap. §. 2. num. 1. § seqq.*
Expendi merentur Textus in *cap. 8. h. t.*
cap. 1. Eod. in 6. Quæ in contrarium
obstare videntur, ut est *cap. 5. 11.*
§ 17. non loquuntur de *Jure Patro-
natus*, sed de ipsis Ecclesiis, quarum
proprietas ad alias Ecclesias trans-
ferre Laicis omnino vetitum est.

Quæ-

36 Quæres V. An per contractum emptionis venditionis Jus Patronatus transferri possit? Resp. Jus Patronatus seorsim, & per se sine labe simoniæ vendi non posse *cap. 16. h.t.* vendito vero castro, cui hoc jus annexum est, etiam illud in consequentiam in emptorem transire *cap. 7. h.t.* & licet expressa mentio *Juris Patronatus* in contractu fiat, tamen si pretium propterea non augeatur, Simonia non committitur, cum expressio hujus juris non taxationis gratia præsumatur fuisse facta, sed declarationis, ut emptor sciat, quæ jura castro vendito annexa sint. Card. de Luca *d. discurs. 56. num. 16.* qui in *num. seq.* ulterius declarat, Simoniam per hoc non induci, quod in æstimatione alicujus castri, etiam ratio *Juris Patronatus* eidem annexi habeatur, cum non qualitas, sive hoc ipsum jus in æstimationem veniat, sed castrum, quod per illud qualificatur: ita domus cariori stat pretio, quæ amœniori situ, cœlo salubri, in urbe, quam ruri locata est, neque tamen per hoc vel ipse situs loci, vel æris temperies appretiarī dicitur. Quæ ipsa est explicatio Molinæ, & Garziæ apud Pax Jordan *lib. 10. tit. 7. de Jur. Patronat. num. 147.* ubi dicit: *Quamvis autem jus ipsum per se non sit vendibile, neque pretio æstimabile ob simoniam; attamen, quando venit cum universitate bonorum, non prohibetur, quin ratione illius bona pluris æstimentur, & vendantur, quam sine ipso: nam pretium attenditur secundum qualitates ipsius rei venalis.*

37 Bœhmerus, qui *Jus Patronatus* etiam solitarie spectatum citra Simoniam contagionem vendi posse, auda-

cter affirmat ad *b.t. §. 110. §. 120.* erroneo ducitur fundamento, quasi scilicet *Jus Patronatus* in dominio & patrimonio Patroni existeret. Hac persuasione Sæculo XII. non pauci infascinati erant, ut ostendit Van-Espen *cit. tit. 25. cap. 4. num. 26.* Huic subinde temeritati occursum fuit in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. relato in *cap. 16. h.t.* ubi ejusmodi emptio venditio irrita declarata est, addita ratione, quod *inconveniens sit vendi Jus Patronatus, quod est spirituali annexum.*

Quæres V. An *Jus Patronatus*, op-38
pignorado castro, cui inhæret, in creditorem transeat? Affirmat Bœhmerus *hic §. 112.* & Christianus Wolffius in *Syntagm. Jur. Eccles. tit. 7. §. 44.* modo debitor sibi hoc jus non reservaverit. Moventur hoc argumento, quod *Jus Patronatus* sit *jus reale*, ipsi castro inhærens, consequenter ad possessorem castri transire debeat, cum in hac materia inconcussa sit regula, quod *Jus Patronatus* in aliqua universitate temporalium consistens cum ipsa universitate transeat. *cap. 7. §. 13. h.t.* Esse vero creditorem, maxime *antichreiticis*, verum possessorem elucet ex *l. 11. ff. de Pignorib.* eique actiones competere, quæ aliàs dominio tribui solent per *l. 16. ff. de usucap. l. 17. ff. de A. vel A. P. l. 9. ff. de N. O. N. l. 16. ff. de Servit. l. 5. §. 1. ff. si ususfruct. pet. l. 4. §. 9. ff. fin. regund.* ergo etiam in ipsum *Jus Patronatus* transit.

Negant ex opposito hunc transi-39
tum quam plurimi, in specie Van-Espen *cit. cap. num. 15.* Pax Jordan *cit. tit. num. 156.* P. Engel ad *b.t. num. 24.* & ita teneri à S. Rota testis est Pito-

Xx 2

nius

nus *de Controv. Patron. tom. 1. allegat. 29. num. 17.* adducens Decisionem Rotæ in *Asculania subhastationis hereditatis 6. Junii 1704. §. etenim coram bon. mem. Muto.* Rationem suæ negationis non unam reddunt laudati DD. nam, si pignus sine pacto antichretico constitutum est, fructus rei oppignoratæ (quibus *jus præsentandi* annumeratur) non cedunt lucro creditoris, sed debitoris, penes quem sicut constituto etiam pignore dominium manet *l. 9. C. de Pignorat. act. l. 35. §. 1. ff. eod.* ita fructus ad eum redeunt *l. 44. ff. de R. V.* cum pignus non constituatur, ut creditor ex eo lucrum capiat, sed ut ratione crediti sibi idonee caveatur *l. 54. §. 1. ff. de furt.* Deinde, si simile beneficium tempore oppignorationis vacare inciperet, non posset eidem de novo beneficiato provideri, non per debitorem, quia ille in Sententia AA. Jus Patronatus non supponitur habere; non per creditorem, quia is Jure Patronatus tanquam re oppignorata uti non posset. Et sic Jus Patronatus maneret sine effectû, & Ecclesia caret præsentato. Accedit, quod ipse Bœhmerus iterum iterumque ingeminet, *Jus Patronatus* esse speciem domini & jure proprietatis ad Patronum pertinere, quomodo ergo in creditorem transeat, in quem dominium non transit? Quod si de creditore antichretico loquamur, iterum res clara est, de Jure Canonico hoc pactum aliter non sustineri, quam si creditor fructus perceptos in sortem principalem imputet. *cap. 4. §. 6. de Pignor. cap. 1. §. 2. de Usur.* Jus vero præsentandi, ut ut sit fructus Juris Patronatus, non ita comparatum est, ut in sortem princi-

palem debiti imputari, eamque diminueri valeat, ut per se patet. Unde oppositum argumentum nullo negotio diluitur, dicendo, illam regulam, quod unacum universitate bonorum transeat etiam Jus Patronatus tanquam *jus reale*, in iis duntaxat casibus verificari, ubi dominium universitatis in alterum transit, ut sit in donatione, emptione &c. non etiam, si creditori universitas bonorum oppignoretur, cum ut dictum est, pignus non constituatur, ut lucrum inde capiat, sed ut securitatem ratione crediti habeat. Quod vero verus possessor dicatur talis creditor, id ex *cit. l. 11. ff. de Pignor.* non evincitur, cum ibidem si *possessio* pro proprietate accipiatur, ut alias in jure haud infrequenter hæc vocabula confundi solent ut patet ex *l. 66. §. penult. ff. de Legat. 2. l. 37. ff. de jud. l. 11. ff. de alienat. judic. mut. l. 11. ff. de Evict. l. 3. ff. de extraord. cogn. in cit. quippe l. 11. dicitur creditorem retinere possessionem pignoris loco. Quis vero dixerit, possessionem vere talem ad objectum pignoris pertinere? cum nonnisi ea oppignorari valeant, quæ debito non soluto distrahi possunt. *t. t. ff. §. C. de distract. pignor.* Nec ratio juris admittit, ut talis creditor dicatur veram possessionem (intellige Civilem) habere, cum rem sibi oppignoratam, nec cum opinione domini, nec ut suam possideat, quod tamen vel divisim, vel conjunctim DD. ad possessionem Civilem proprie talem, sive quæ talis est ex forma sive causa possidendi, requirunt. Neque etiam ex eo legitima ejus possessio reddi potest, quod eidem accommodentur quædam actiones, quæ alias domino compete-*

re solent. Ut fallacia hujus argumen-
ti ad oculum pateat, ex compluribus
textibus, quos adducunt, vel unicum
placet excutere, sit l. 9. ff. de N. O. N.
ubi de creditore sic cautum legitur:
*Creditori, cui pignoris nomine prædium
tenetur, permittendum est, de jure (id
est, de servitute) opus novum nuntiare:
nam ei vindicatio servitutis datur.* Ec-
ce ex casu hujus legis apparet, quod
creditori facultas novum opus nuntian-
di, unâque actio confessaria detur, quæ
remedia aliâs illis duntaxat dantur,
qui vel domini sunt, vel jus servitutis
realis habent l. 1. §. 19. l. 5. §. 9. ff. de
N. O. N. l. 16. ff. de Servit. Unde le-
gitime inferri videtur, quod possessio
creditoris quoad effectus adeo propin-
qua dominio non possit non esse vera
possessio. Verum hic ictus à scopo
longe aberrat, non enim recensita re-
media creditori accommodantur, quo
ejus possessio magis firmetur, sed ut
jus domini, videlicet debitoris in sal-
vo maneat, cujus nomine dictas actio-
nes idem exercere permittitur, & in-
simul, ne ipsi creditori securitas cre-
diti intervertatur, dum utriusque in-
terest, ne res in pignus datum vitium
aut labem patiat. Apposite huc
quadrat Textus in cit. l. 1. §. 20. ff. de
N. O. N. ubi Ulpianus de usufructua-
rio sic pronuntiat: *Usufructuarius au-
tem opus novum nuntiare suo nomine
non potest: sed procuratorio nomine
nuntiare poterit, aut vindicare usum-
fructum ab eo, qui opus novum faciat:
quæ vindicatio præstabit ei, quod ejus
interfuit, opus novum factum non esse.*

40 Quæres VI. An prædio locato, cui
Jus Patronatus inhæret, in conducto-
rem exercitium hujus juris transeat?

Pax Jordan cit. lib. 8. tit. n. 152. cen-
set eo casu, Jus Patronatus in condu-
ctorem transire, quo conductio non
particularis, sed generalis omnium
bonorum facta est, quia tunc condu-
ctor æquiparatur emptori, quasi scili-
cet omnes fructus emisset, adeoque
sicut emptor universalis acquirit Jus
Patronatus, sic etiam conductor uni-
versalis. Sed displicet hæc ratio, &
paritas, nam pensio constituitur pro
fructibus, jus vero Patronatus, utpo-
te jus spirituale temporariam ejusmo-
di compensationem abominatur. De-
inde lata est disparitas inter emptorem,
& conductorem. In illum transit do-
minium rei emptæ, adeoque etiam
Jus Patronatus cum reliquis, quæ rei
venditæ adhærent, in conductorem ve-
ro solus usus rei, nec alii fructus,
quam qui mercede æquari possunt,
quam non fert Jus Patronatus, ut di-
ctum est. Panormitanus ad cap. 7. h. t.
num. 5. aliter distinguit, ac in locatione
ad longum tempus facta Jus Patrona-
tus conductori adjudicat, secus in lo-
catione ad breve tempus. Rationem
discriminis reddit, quod in priori lo-
catione conductor verus possessor con-
stituatur, eique actiones in rem tri-
buantur l. 1. §. un. ff. si ager vectigal.
l. 1. §. 3. ff. de superfic. in posteriori
non item, ut patet ex l. 33. ff. de usur-
pat. l. 2. C. de Præscript. 30. vel 40. ann.

Mihi Sententia simpliciter negans, 41
Jus Patronatus, vel ejus exercitium in
conductorem transire præplacet, ex ea
ratione, quod in conductorem nec
vera possessio, nec dominium utile trans-
eat; unde nec Jus Patronatus, utpote
reale, castro inhærens, in conducto-
rem transire potest. De dominio utilis

X x 2

quod

quod non transeat, nemo disputat. *Possessionem veram* eo ex capite conductori abjudicamus, quod rem non possideat ut *suam*, vel cum opinione *dominii*, quod tamen ad possessionem vere talem requiri communiter tradunt DD. Nec etiam id evincitur ex textibus supra allatis. Non ex *l. 1. §. un. ff. si ager vectigal.* quia ibi non agitur de conductione in specie tali, sed, quatenus conductione (si vocabulum hoc latius sumatur) contractum quoque *emphyteuticarium* comprehendit, id quod ex ipsa Rubrica, sub qua *cit. l.* est posita, satis eruitur, utpote quæ de agro vectigali sive *emphyteuticario* concepta est. Quin, si textus hic exaudiendus esset de conductione proprie tali, AA. quoque solvendus esset, cum in *l. 3. d. t.* eadem actiones in rem scriptæ conductori temporario dentur, quem tamen verum possessorum AA. non agnoscunt. Nec etiam ex *l. 1. §. 3. ff. de superfic.* possessio conductoris probatur, nam cum inter locationem & contractum *superficiarium* tanta intercedat propinquitas, ut in casibus particularibus nonnunquam dubitetur, uter illorum inter partes celebratus fuerit, ut notat Bartolus in *l. 1. §. 1. ff. de superfic. num. 3.* & pluribus utriusque contractus differentias examinat Menochius de *retin. possess. remed. 4. Quest. 2.* idcirco in *cit. l. 1. §. 3.* Ulpianus resolvit, ut, si causa cognita apparuerit, contractum *superficiarium* fuisse initum, *superficiario*, qui ibidem lato modo *conducere* dicitur, actio *superficiaria* detur. Confirmatur hæc Sententia ex *cap. 7. b. t.* ubi militi, qui villam ab Ecclesia ad *firmam* tenuit, cui *jus Patronatus* innexum erat, *jus præ-*

sentandi adjudicatum fuit, non alia ratione, quam quod is non simplex conductor fuerit, sed verus *emphyteuta*, in quem *dominium utile* transfertur, Fagnan. ad *cit. cap. n. 12. §. seqq.* Van-Espen *d. tit. 25. cap. 4. num. 7. §. 8.* scio quidem explicationem hujus *cap. à Boehmero* reprobari ad *b. t. §. 113.* sed quid non reprobet homo reprobata sectæ. Quod hoc vocabulum *firma* in jure nostro non semper denotet locationem *perpetuam*, atque adeo contractum *emphyteuticarium* præsumptive talem, satis colligitur ex *cap. 8. de Decim. cap. 2. de locat. extravag. un. de Decim. inter commun.* quia tamen *LL.* ad ea aptantur, quæ frequentius accidere solent, & contractus ad *firmam* ipso Boehmero teste ad *b. t. §. 115. ad longissimum tempus ut plurimum, seu ad vitam constituitur*, idcirco interpretes nostri bene inferunt, etiam in *cit. cap. 7. b. t.* Pontificem non de alio contractu ad *firmam* sensisse, quam qui esset perpetuus, adeoque, ubi *dominium saltem utile in firmarium* translatum fuit. Paradoxum quippe, ne dicam prodigiosum, foret, *Jus Patronatus*, quod instar accidentis *dominio vel directo, vel utili* inhæret, sine hoc subiecto consistere, & conservari posse.

Quæres VII. An marito competat *jus præsentandi*, quando eidem *castrum*, cui *jus Patronatus* annexum est, in dotem datum fuit? Resp. affirmative, quia in bonis dotalibus maritus *dominium civile* habet, quiescente interim *dominio uxoris naturali*, per *l. 75. ff. de Jur. Dot. l. 23. C. d. t.* adeoque is solus facultatem habet percipiendi omnes fructus ex re dotali. Nec

Nec obstat, quod hæc facultas eatenus tantum videatur marito esse impartita, quatenus ex fructibus rei dotalis onera matrimonii facilius sustineri valeant *cap. 7. de Donat. inter vir. & uxor. cap. 17. de Usur. l. 56. §. 1. ff. de Jur. Dot.* præsentatio vero, quæ est fructus juris Patronatus, ad onera matrimonii facilius supportanda nihil conferre videatur. Ad hoc paucis respondeo, sufficere, quod universitas bonorum dotalium, quibus adhæret *jus Patronatus*, onera matrimonii relevare potens sit, cum aliunde *jus Patronatus*, ubi universitas transfertur, tantum accessorie & in consequentiam veniat. Vide Van-Espen *cit. cap. 4. num. 11.*

43 An in sequestrum una cum castro sequestrato transeat exercitium juris præsentandi, sub distinctione respondimus *in tit. de sequestrat. possess. n. 12.* quod lectorem remittimus. Id duntaxat de bonæ fidei possessore hic annuimus, quod præsentatio ab eo facta teneat, nec beneficiatus ad ejus præsentationem semel institutus amplius removeri possit, tametsi ex intervallo appareat, jus præsentandi ad hunc Patronum putativum tempore præsentationis non pertinuisse, *cap. 18. b. tit.* quia bonæ fidei possessor fructus consumptos irrevocabiliter facit suos, maxime, si ex illis locupletior non evaserit, ut hic, ubi per præsentationem nulla bonorum accessio facta fuit. Van-Espen *d. cap. num. 14.*

44 Quæres VIII. An præscriptio modus sit legitimus *jus Patronatus* ab uno in alium transferendi? Negat quoad Laicos Corvinus *d. lib. 5. tit. 9. n. 32.* eo, quod incapaces sint possidendi jura

spiritualia, quibus *jus Patronatus* accenseri fatentur orthodoxi omnes. Verum, quia Laici ad *jus Patronatus* possidendum per privilegium in corpore juris clausum universim habilitati fuerunt, fundamentum Corvini corrui. Unde nihil hæsitamus, inter reliquos modos transferendi *jus Patronatus* etiam præscriptionem reponere. De tempore vero non convenit inter DD. an tempus *quadragenarium* æque desideretur, si Laicus contra Laicum *jus Patronatus* præscribere velit, sicut hæc mensura temporis observari debet, quando contra Ecclesiam præscriptio procedit, num vero sufficiat tempus ordinarium longi temporis, videlicet decem annorum inter præsentantes, & viginti inter absentes? Card. de Luca *de jur. Patron. discurs. 56. num. 22.* tempus quadragenarium in utroque casu exposcit, eo quod iste terminus omni rei Ecclesiasticæ & spirituali præscribendæ communis sit. Malo tamen cum Clariss. D. P. Böckh ad *b. t. n. 28.* determinationem temporis à Jure Civili inductam in præscribendo *jure Patronatus Laicali* recipere, cum in *cap. 8. de Præscript.* quadraginta annorum terminus tantum ponatur præscriptioni, quæ currit contra Ecclesiam: ergo dispositio Juris Civilis quoad præscriptionem contra Laicum invariata adhucdum manet. Et sane si hoc quoque casu tam prolixus terminus pro complenda præscriptione exigeretur, Jus Canonicum non favisset Ecclesiis, utpote quæ libertatem à Patronatus onere contra Laicos tali modo breviori tempore, quam decursu 40. annorum sibi asserere non posset. Caterum illa spiritualitas *juris*

ris Patronatus non officit, quominus illud lapsu ordinarii temporis contra Laicum Patronum præscribi possit, cum Jus Canonicum definiendo terminum 40. annorum non tam rei præscribendæ, quam Ecclesiæ, contra quam præscribitur, rationem haberi voluerit, ut patet ex *cap. 4. 6. § 8. de Præscript.* Vid. Gonzalez ad *cap. 24. de Elect.* num. 4.

45 Pro coronide hujus §. adhuc quaerieris, an confiscatis omnibus bonis Patroni, etiam jus Patronatus ad fiscum devolvatur? Plerique solent distinguere inter Jus Patronatus reale, & personale, ac illud tanquam accessorium rei confiscatæ ad fiscum transire, etiam Laicum: istud vero, postquam per Sententiam judicis Ecclesiastici eodem privatus fuit, ad hæredes de familia condemnati, si Gentilitium fuerit, devolvi, si hereditarium, penitus extinguere, & ad Ecclesiam reverti assentunt. Pax Jordan cit. tit. n. 149. Corvinus d. tit. 9. num. 49. Lotter de re benefic. lib. 2. Quest. 14. n. 21. & seqq.

Ego Jus Patronatus reale ad fiscum Laicum non transire autumo, ex hac ratione, quod judicis Laici non sit de jure Patronatus, utpote spirituali, etiam indirecte cognoscere, quod tamen in data hypothese eveniret, nam, ut ait Barbosa de Offic. Episc. part. 3. allegat. 71. num. 45. publicando bona, quibus jus Patronatus annexum est, dicitur quoque indirecte, & accessorie jus Patronatus publicari. Deinde si jus Patronatus hoc pacto ad fiscum deveniret, id Ecclesiæ oppido præjudiciosum existeret, quia periret spes libertatis beneficii, siquidem fiscus nunquam moritur. Et hanc rationem ponderat. Franc. Leo in thesaur. for. Eccles. part. 2. cap. 6. num. 37. Latius excutunt hanc Quaestionem cit. Lotter, Clarus §. fin. Quest. 78. num. 8. Farinacius in prax. Crimin. part. 1. Quest. 25. num. 151. & seqq. & de heresi Quest. 190. §. 1. n. 24. Card. de Luca de Jur. Patr. discurs. 38. per tot. & alii à Barbosa dict. allegat. num. 45. allegati.

§. IV.

Quinam juris Patronatus tum activi, tum passivi capaces sint?

S U M M A R I A.

47. Juris Patronatus activi regulariter capaces sunt omnes. 48. Excipiuntur persone specialiter ab Ecclesia reprobatae, ut sunt pagani, heretici &c. 49. Quid de Protestantibus & Reformatis in Romano Imperio? 50. Quid de excommunicatis? 51. Laici quatenus juris Patronatus passivi capaces sint? 52. Quid Patrono circa presentationem candidati observandum sit? 53. Patronus, si est unicus, seipsum presentare nequit. 54. Potest tamen consentire presentationi aliorum compatronorum de se factæ, & ita facere majora. 55. Patronus tamen non prohibetur presentare filium suum.

Ec-

47 **E**cclēsia erga benefactores suos se usque adeo gratiosam exhibet, ut à *Jure Patronatus* acquirendo regulariter neminem exclusum velit. Unde illius capaces sunt tam *Laici*, quàm *Clerici*, tam *mares*, quàm *femine*, nam genus *masculinum*, quo passim *h. t. § C. 16. Q. 7. SS.* Canones utuntur, regulariter etiam *fœmininum* comprehendit *l. 1. ff. de V. S. l. 45. de legat. 2.* nisi aliud suadeat subiecta materia, ut in feudo *tit. 8. feud. 1.* item in *Jure Patronatus gentilitio*, de quo consule Card. de Luca *de Jur. Patron. discurs. 22. num. 11. § 12.* Non minus *Juris Patronatus* capaces sunt *impuberes*, quàm *puberes*, sicut enim pupillus hæreditatis capax est, ita & hoc jus titulo successionis ad ipsum transire potest, ita tamen, ut si impubes sit infra septennium constitutus, tutor præsentare debeat, sin verò major quidem septennio, sed infra annos pubertatis adhuc fuerit, præsentatio quidem auctoritate tutoris facienda esset, facta tamen etiam sine illo valeat, & præsentatus à pupillo idoneus etiam digniori à tutore præsentato præferri debeat. Valens. *h. t. §. 5. num. 4.* Pupillus *pubes* factus, etsi minor 25. annis absolute præsentare poterit *arg. cap. ult. de Judic. in 6.* Ex eadem ratione, si patronus fuerit *filiusfamilias*, iterum ad ipsum, non verò ad patrem jus præsentandi spectabit, quia in spiritualibus potestas patria non attenditur. Ulterius non solum *legitimi*, sed etiam *spurii*, & *illegitimi* uti capaces sunt hæreditatis, vel legati ab extraneo relictæ, ita & *Juris Patronatus* cum universitate translati, sive per ultimam voluntatem, sive per donationem, vel

venditionem rei, cui *Jus Patronatus* annexum est. Card. de Luca *discurs. 37. num. 7.*

Incapaces sunt econtra *Juris Patronatus* omnes personæ ab Ecclesia damnatæ, & reprobatæ, cujusmodi sunt, Pagani, Turcæ, Judæi *cap. 30. C. 16. Q. 7.* quia jura tantum faciunt mentionem Fidelium & Christianorum. Corvinus *d. lib. tit. 9. num. 38.* Item Hæretici, Schismatici, quia ipsorum bona confiscata sunt ipso jure. *cap. 10. de Hæretic. cap. 19. eod. in 6. Auth. Gazaros C. de Hæret.* Nec non ipsorum fautores, receptatores, & similes nebulones. V. Lambertin. *lib. 1. quest. 7. princ. art. 3. § seqq.*

Sectarii in Romano Imperio etiam 49 quoad hoc punctum sibi prospexerunt in instrumento *Pacis Westphal. art. 5. §. 31.* ubi ita cautum fuit: *Statuum Catholicorum Landsassii, Vasalli, & subditi, cujuscunque generis, qui sive publicum, sive privatum Augustanæ Confessionis exercitium anno 1624. quacunque anni parte, sive certo pacto, aut privilegio sive longo usu, sive sola denique observantia dicti anni habuerunt, retineant id etiam imposterum una cum annexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt, aut exercita fuisse probare poterunt. Cujusmodi annexa habentur institutio Consistoriorum, ministeriorum tam Scholasticorum, quàm Ecclesiasticorum, JUS PATRONATUS, aliæque similia jura &c.*

De excommunicatis Excommunicatio 50 majori id juris est, quod *Jus Patronatus* quidem non amittant, usus tamen & exercitium impeditur, donec absolvantur, ita, ut institutio ad præsentationem talis Patroni facta ab Epi-

Y y

ico-

scopo irrita sit. Covarruv. in cap. *Alma mater* part. 1. §. 7. num. 9. V. 12. effectus arg. cap. un. ne sede vacant. in 6. Distinctionem tamen hic aliquam notat Suarez disput. 14. de Censur. sect. 2. num. 30. inter Patronum excommunicatum vitandum, & non vitandum, ut ille præsentare valide nunquam possit, hujus verò præsentationem factam Episcopus acceptare queat, sed non teneatur. Interea tempus ad præsentandum excommunicato non currit, si in mora petendæ absolutionis non fuerit, cap. 5. de Concess. Præbend. cap. un. §. 1. ne sede vacant. Zoësius h. t. num. 58. Hæc de capacitate juris activi.

§ I Juris passivi capaces illi dicuntur, qui à Patrono præsentari possunt, aut debent. Non possunt autem præsentari Laici, utpote inhabiles ad beneficia, & jura spiritualia cap. 2. de Instit. Nominatio tamen eatenus habebit locum, si talis Laicus ante institutionem tonsuram saltem Clericalem receperit. Paris. de Resignat. Benef. lib. 4. quest. 2. quia nominatio, quæ præambula esse solet ad præsentationem, jus aliquod nominato non tribuit; contra præsentatio etiam ante institutionem jus ad rem præsentato confert. Barbof. ad cap. 18. h. t. num. 8. Et ideo capacitas jam tempore præsentationis ex parte præsentandi adesse debet. Similiter juris passivi incapaces sunt, adeoque præsentari nequeunt Clerici conjugati arg. cap. 1. §. 2. de Cleric. conjugat. servi, antequam manumittantur, cap. 1. §. 5. de serv. non ordin. liberi illegitimi cap. 13. Qui filii sint legitim. nisi per subsequens matrimonium fuerint legitimati cap. 6. d. t. Clerici irregulares, & suspensi ab Ordinibus, sive bene-

ficio & officio, Interdicti, Excommunicati, Hæretici, Apostata, & alii, quorum syllabum describit RR. DD. Martinus Resch d. tract. cap. 4. num. 34. § 45.

Circa capaces hujus juris passivi id porro patrono observandum est, ut inter plures simpliciter quidem dignos digniorem præsentet cap. 3. h. t. Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 18. valebit nihilominus præsentatio digni, neglecto digniore. S. Thomas 2. 2. Q. 63. art. 2. ad 3. Quod si aliquis de certa familia præsentandus sit, dignus etiam digniori extraneo præferri debet; si plures de familia essent, dignior ex his præsentandus foret. Azor lib. 6. cap. 21. quest. 5.

Quæres, an Patronus Clericus se ipsum præsentare possit? Resp. I. si Patronus est unicus, se ipsum præsentare nequit, ita, ut nec vicaria procuratoris opera id efficere possit. Ratio prioris est, quod inter dantem, & accipientem debeat intercedere distinctio personalis cap. ult. de Instit. & quia ejusmodi præsentatio à nota ambitionis aliena haud foret. cap. 26. h. t. cap. 9. C. 8. Q. 1. Poterit tamen Patronus potestatem præsentandi alteri cedere, & ea saltem se pro hac vice abdicare, quo casu, cum cessionarius libere suo nomine præsentare possit, nihil obstat, quominus cedentem, sive resignantem præsentet: vel fas erit Patrono apud Episcopum pro conferendo sibi beneficio precibus instare, qui tamen ejus petitioni deferre non tenetur. Facit huc cap. 16. de Præbend. Vivian. de Jur. Patron. lib. 6. part. 2. cap. 9. Lotter de re Benef. lib. 2. quest. 38. Ciarlin. Controv. forens. cap. 69. à n. 15. Ze.

Zerol. part. 1. V. Jus Patronatus §. 12.
Card. de Luca discurs. 31. num. 9. Ratio posterioris est, quod, quidquid procurator agit, nomine principalis agit, & actus mandanti attribuitur, non exequenti. Paris. de Resignat. benef. lib. 9. cap. 17. num. 113. Barbof. de Potest. Episc. part. 3. allegat. 72.

54. Resp. II. Si plures fuerint Patroni, poterit Patronus consentire præsentationi de se per alios compatronos factæ, & ita consentiendo etiam augere numerum, si alii quoque fuerint præsentati. Lambertin. de Jur. Patron. part. 1. lib. 2. quest. 8. Cardin. de Luca de Jur. Patron. discurs. 31. num. 11.

Porro quod dictum est de Patrono, 55 quod se ipsum præsentare nequeat, ad ejus filios, vel alias conjunctas personas extendendum non est; quapropter pater filium, aut alium de suis propinquis præsentare non prohibetur, ne alias ejusmodi conjunctæ personæ sint deterius conditionis, quam extranei, & Jus Patronatus, quod in favorem patroni, & ejus hæredum introductum est, in eorum odium detorqueatur contra regulam juris in cap. 61. de R. J. in 6. Corroboratur hæc assertio ex l. 5. ff. quod cujusque univers. ubi dicitur, quod pater filio, & filius patri suffragium dare possit.

§. V.

De Prærogativis Juri Patronatus adherentibus.

SUMMARI A.

56. Inter prærogativas prima est jus præsentandi, & honor præcedentiæ in Ecclesia patronata, 57. quod jus tamen in Prælaturis electivis exercere nequit, 58. competit eidem etiam honor precum publicarum, & in quo is consistat? 59. Non vero honor sepulture. 60. Ad inopiam reductus habet jus petendi alimenta ab Ecclesia Patronata. 61. Bœhmerius nullum hic jus speciale reperit, cujus cæcitatē redarguitur. 62. Qualis debeat esse paupertas? 63. Hoc privilegium non competit Patronis, qui alio, quam foundationis dotationis, vel constructionis titulo jus Patronatus acquisiverunt. 64. Patrono etiam competit inspectio Ecclesiæ, & quomodo?

56. **P**lures sunt prærogativæ, quæ Jus Patronatus conspicuum, & illustre reddunt. Has Glossa ad c. 25. b. t. in sequentes versiculos cõegit:

Patrono debetur honos, onus,
emolumentum,
Præsentet, præsit, defendat, alatur egenus.

Itaque honor in duobus potissimum consistit I. quod possit Patronus determinare, & præsentare beneficiatum Episcopo, vel alteri Prælato jus institutionis habenti, quem institutor repellere non potest, nisi inhabilem deprehendat, ita, ut collatio sine voluntate Patroni facta nulla sit cap. 32. C. 16.

Q. 7. II. Quod honor processionis eidem

Y y 2

dem reservetur juxta *cap. 25. h. t.* id est, non tantum præcedentia in Processionibus, sed etiam præeminentia sedis honorabilioris in Ecclesia Patronata, qua etiam gaudet in suscipienda pace, churificatione, & aliis. Pax-Jordan *lib. 10. tit. 7. num. 447. § seqq.* Panormit. in *cap. 25. h. t. num. 5.* Gonzalez *ibidem num. 9.* qui in *num. præced. 6. 7. § 8.* latius explicat, quid per honorem Processionis jure veteri intellectum fuerit, cum in *cap. 26. § seq. C. 16. Q. 7.* dicatur, Patrono, præter Processionis aditum, qui omni Christiano debetur, nihil proprii juris esse concessum. Cui addatur Pignatell. *tom. 9. cit. consult. 82. num. 40. § seq.* Van Espen *d. tit. 25. cap. 7. num. 5. § seqq.* Emin. Petra *tom. 2. pag. 543. num. 46.*

§7 Jam superius dictum fuit, in Ecclesiis, in quibus Prælati per electionem assumi consuevit, Patrono nec jus præsentandi, multo minus jus eligendi competere, etiam eo casu, quo Ecclesia primitus patronata cum patroni consensu in collegiatam conversa fuit, Corvin. *cit. tit. 9. num. 68.* ejus tamen consensum post electionem jam factam de honestate requirendum esse, colligunt interpretes ex *cap. 25. h. t. cap. 51. de Elect.* Emin. Petra *tom. 1. Comment. ad constit. Apost. pag. 426. num. 103.* Quin tamen consuetudine effici possit, ut Patroni assensus, vel saltem consilium etiam ante electionem de necessitate requiri debeat, affirmare nullus dubitat Covarruv. *var. resolut. part. 2. in Relect. cap. male fidei possess. §. 10.* id quod eruitur ex illis verbis *d. cap. 25. h. t.* Nisi aliter de sua jurisdictione obtineat, ut partes suas interponere possit electioni tractandæ. Cæterum quod

Patronus Clericus cum consensu Episcopi sibi *jus eligendi* in Ecclesia collegiata in limine foundationis expresse reservare possit, Laicus vero non aliter, quam cum privilegio Apostolico, docet Barbof. *J. E. V. lib. 3. cap. 12. num. 181.* Ventriglia *de Jur. Patron. annotat. 2. §. 3.* Ratio est, quod Clericus non sit incapax jurium spiritualium, bene vero Laicus, & ideo ille nulla temporis præscriptione, aut consuetudine etiam immemoriali ad *jus eligendi*, quod spirituale est, habilitari potest, sed privilegio Apostolico opus habet *cap. 14. cap. 51. § 56. de Elect.* Clericus vero, cum dicto impedimento non laboret, reservationes, vel conditiones etiam juri communi adversas cum consensu Ordinarii in limine foundationis apponere non prohibetur, V. Pax-Jordan *cit. tit. n. 466. § seq.*

Ad jura Patronorum honorifica, etiam referri solet honor *precum*, & *sepulture*. Honor *precum* in eo consistit, quod nomina Patronorum inter Missarum solennia recitentur, & precibus publicis DEO commendentur, de quo ritu extant textus in *cap. 1. dist. 25. § cap. ult. de Consecrat. dist. 1.* Et in Synodo Emeritenfi anno 666. celebrata *can. 19.* qui sic habet: Proinde salubri deliberatione censemus, ut pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus Dominicis Sacrificium DEO procurret offerre, & eorum nomina. à quibus Ecclesias eas constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante Altare recitentur tem-

po-

pore Missæ, quod si ab hac decesserunt aut discesserint luce, nomina eorum cum defunctis fidelibus recitentur suo ordine. Idipsum constat ex Innocentio I. Epist. 1. ad Decentium Episcopum. S. Augustino Epist. 137. & Gelasio Papa Epist. ad Anathasium Augustum, nec non ex S. Chrysostomo Homil. 6. in cap. 2. Epist. 1. ad Timoth. quamquam vero aliis quoque benefactoribus, & de Ecclesia bene meritis id commune sit, quod publice precibus fidelium commendentur, tamen Patroni præ illis hoc præcipuum habent, quod debeant nominatum, id est, expressis nominibus, & qualitatibus commendari. Vid. Van-Espen cit. tit. 25. cap. 7. n. 22.

59 Honor sepulture, quem Patrono in Ecclesia competere, & quidem loco honorabiliori contendit Van-Espen d. cap. 7. num. 29. meliori jure negatur à Lotterio de re benefic. lib. 2. cap. 4. n. 7. Eminent. Petra tom. 2. pag. 544. n. 54. & à S. Rota apud Ventriglia de jure Patron. annot. 1. §. 4. num. 13. nisi Patronus in foundationis initio sibi hoc jus reservasset, ratio est, quod jus Patronatus & jus sepulture sint jura diversa, à diversis autem non fit bona illatio. Quapropter sicut jus Patronatus non potest principaliter in sepulchro constitui. Lambertin. de jur. Patron. lib. 1. part. 1. quest. 11. art. 13. num. 1. ita nec accessorie, ut sub jure Patronatus Ecclesiæ, aut Capellæ intelligatur habere jus sepulchri. Lotter d. l. num. 8. Caterum in deferendis recensitis juribus honorificis tam quoad personas, quibus exhibenda, quam quoad modum exhibitionis consuetudinem locorum attendendam esse recte monet laudatus Espenius d. cap. n. 38.

qui num. seq. addit, quod si ejusmodi jura in abusum desisterent, ac templorum decori officerent, aut divinarum Officiorum rectam celebrationem impedirent, autoritate publica corrigi, & impediri posse.

Ad prærogativas juris Patronatus 60 merito & illud referas, quod jus utile vocari solet, videlicet jus petendi alimenta ab Ecclesia, si Patronis ad incintas vergat, nec se, suosque de sua substantia amplius alere possit. Agnovere antidoralem hanc obligationem quam optime PP. Concilii Toletani IV. Anno Christi 633. celebrati, ubi Can. 38. ita statuerunt: *præbendum est à Sacerdotibus vitæ solatium indigentibus, & maxime his, quibus restituenda vicissitudo est. Quicumque ergo fidelium de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid devotione propria contulerunt; si forte ipsi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia Suffragium vitæ pro temporis usu percipiant. Si enim Clericis vel Monachis, seu peregrinis, aut quamlibet necessitatem sustinentibus, pro solo Religionis intuitu, in usum res Ecclesiasticæ largiuntur, quanto magis his consulendum est, quibus retributione justa debetur.* Ad hunc quoque canonem respexit Pontifex in c. 25. h. t. scribens: *Si (Patronus) ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste (vel ut alia lectio habet, moderate) succurritur, sicut in sacris est Canonibus institutum.* Similia habet Pontificale Romanum, cujus verba recitat. Van-Espen d. tit. cap. 6. num. 4.

Verum nihil speciale à PP. dicti 61 Concilii Toletani Patronis fuisse indultum veroverius Boehmero videtur ad h. t. §. 18. eo, quod communem

hanc

hanc

hanc Ecclesiæ munificentiam pauperes omnes experirentur, quippe qui id temporis adhuc de penu Ecclesiæalebantur: *postquam vero Clerici* (scribit §. 141. h. t.) *hoc pietatis Officium deposuere, hodie etiam hac in re præcipuum aliquod jus iis recte adscribitur.* In Sententiam Boehmeri pedibus irem, si PP. d. Concilii patronis egenis hanc beneficentiam exhiberi voluissent intuitu solius paupertatis, tunc procul dubio patroni nihil præcipui habuissent præ aliis pauperibus: quoniam vero Patronorum egestati eo ex capite succurrendum esse statuerunt, quod illi se antecederent in Ecclesiam beneficos, & liberales exhibuissent, satis liquet, etiam Patronis ex titulo præstitæ munificentiae jus quoddam peculiare petendi alimenta ab Ecclesia accrevisse. Accedit, quod non quomodocunque succurratur Patronis, sed largius & abundantius, quam aliis pauperibus, ut ait Glossa ad *cap. penult. h. t.* habita ratione qualitatis Patroni, ita quidem, ut teste Riccio in *praxi præst. aliment. part. 3. resolut. 284.* etiam pensionario sit præferendus, imo, hæc alimenta ei debeantur, dote quoque perempta. Idem *resolut. 278.* nec opus sit, ut Patronus in ipsa fundatione alimenta sibi reservet, cum ipso jure debeantur. Van-Espen *d. tit. cap. 6. num. 9.* Nec verum est, quod Clerici hodie hoc pietatis Officium, videlicet succurrendi pauperum necessitati, deposuerint; manet equidem eosdem hodie, hæc obligatio; idcirco Episcopis à Concilio Tridentino *Sess. 23. de Reformat. cap. 2.* præcipitur, ut *pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerant.* Ad quid ve-

ro hæc cura, si obligatio curandi pauperes in Clero cessat?

Ut porro hæc alimenta Patronus ab Ecclesia exigere valeat, non sufficit quæcunque paupertas, sed gravis illa sit, quam subinde is probare debet. Censetur autem gravis egestas, quando Patroni facultates adeo sunt accisæ, ut statui suo competenter vivere nequeat, nec alius sit, qui eidem succurrere de jure teneatur. Riccius *d. part. 3. resolut. 280.* unde, si Patronus etiam nobilis habeat aliqua bona, ex quorum fructibus unacum honesto aliquo exercitio vivere possit, si non nobiliter, saltem congrue, Ecclesia patronata illi alimenta suppeditare non obstringitur. Rota in *Regien. Prioratus 1. Jul. 1596. coram Pennia.* Riccius *resolut. 279.*

Noli tamen hoc commodum aliorum mentorum extendere ad extraneos, ad quos forte cum universitate honorum *jus Patronatus* translatus est, sed scito, istud emolumentum soli fundatori, ejusque descenditibus ab Ecclesia tributum fuisse, ut Textus in *cap. 26. C. 16. Q. 7. & cap. 25. h. t.* (qui duntaxat de fundatore, ejusque descenditibus loquuntur) probe expendenti patebit, & fufius demonstrat Eminent. Petra *tom. 2. ad Constit. Apost. pag. 540. num. 23. & seqq.*

Recensitis prærogativis accedit tertiatia, quæ consistit in superintendencia Patronis competente, & eatenus *jus Patronatus* dicitur *onerofum*, nisi hoc ipsum honori deputare malis, quod Patrono cura & inspectio Ecclesiæ Patronatæ concredatur. Habet ergo Patronus curam & inspectionem quoad bona Ecclesiæ, ne male alienentur, vel

vel dilapidentur, ac propterea, si viderit beneficiatum aliquid ex collatis bonis defraudare, poterit honesta monitione eundem compescere, quam si contemnat, permittit Concilium Tolletanum IX. in *cap. 31. C. 16. Q. 7.* re-latum, ut vel Episcopo, vel Judici corrigendum denuntiet. Per hoc tamen Patronus nullam jurisdictionem in Beneficiatum, vel Ecclesiam acquirit, unde nec visitationem instituere, nec circa ea, quæ administrationem Sacramentorum concernunt, seseingere potest. Concil. Trid. *Sess. 24. de Reform. cap. 3.* nec in perceptione fru-

ctuum, proventuum, & obventio-num quidquam ordinare valet, sed eas libere beneficiato distribuendas relin-quere debet. Concil. Trid. *Sess. 25. de Reform. cap. 9.* II. Tenetur Patronus Ecclesiam defendere à violenta oppressionem, vel defraudationem, etiam in judicio, tanquam proprius Ecclesiæ advocatus *cap. 23. § 24. h. t.* III. Ad Ecclesiam collapsam, vel ruinas minitantes reparandam ante alios contri-buere obligatur. Concil. Trid. *Sess. 21. de Reform. cap. 7.* sed de hoc pluribus infra ad tit. de Eccles. edific.

§. VI.

De Differentiis inter Jus Patronatus Laicum, & Ecclesiasticum.

S U M M A R I A.

65. Imprimis Jus Patronatus alterum ab altero differt ratione temporis pro præsentatione faciendæ à jure concessi. 66. Si Laicus & Clericus jus Patronatus simul exerceant, laxius spatium Clerico concessum etiam proficit Laico. 67. Patronis de ipso jure controvertentibus tempus legale nihilominus currit, & quare? 68. Non item, si lis inter Episcopum & Patronum sit. 69. Differunt etiam in eo, quod Patronus Laicus plures simul, aut successive præsentare possit, Ecclesiasticus vero tantum unum. 70. Tertia differentia petitur ex Concilio Tridentino, quod exponitur. 71. Rursus etiam in hac differentia constituitur, quod Papa Juri Patronatus Laico derogare non soleat, bene vero Ecclesiastico.

65 **J**us Patronatus Laicum & Ecclesiasticum in pluribus differunt, & quidem I. ratione temporis, dum Laico ad præsentandum 4. menses, Ecclesiastico vero sex menses competunt. *cap. 3. in fin. & cap. 27. h. tit. cap. 22. h. t. cap. un. eod. in 6.* Vide, quæ hic notat Van-Espen *d. tit. cap. 5. num. 10.* & seqq. currit vero hoc tempus à die

notitiæ vacantis beneficii *arg. cap. 3. de supplend. neglig. & cap. 5. de concess. Præbend. Barbof. de potest. Episc. part. 3. allegat. 72. num. 134.* Card. de Luca *de Jur. Patron. discurs. 1. n. 4. § 5. discurs. 64. num. 5.* quo elapso si Patronus suo jure usus non sit, jus providendi ad Episcopum, vel eum, qui alias jus instituendi haberet, devolvitur.

tur. d. cap. un. §. fin. b. t. in 6. Rationem, cur Patrono Ecclesiastico laxius tempus ad præsentandum indulgeatur, quam Laico, Glossa ad dict. cap. hanc reddit, quod ille in aliis pluribus gravetur, non item Laicus, ut infra patebit.

66 Quodsi Laicus, & Ecclesiasticus sint compatroni, uterque termino semestri gaudet. Panormit. ad cap. 22. b. t. num. 3. Garzias part. 5. cap. 9. n. 210. quia scilicet Regula generalis est, quod socius per se non privilegiatus propter communionem cum socio privilegiato in re, aut jure communi indivisibili commodum, & privilegium alterius socii participet. l. 9. ff. quemadm. sermitt. æquius enim est, ut socius propter socium privilegiatum in re communi, eaque individua commodum consequatur, quam privilegiatus propter non privilegiatum damnum patiat. Covarruv. PP. QQ. cap. 36. n. 5. §. 3. unde etiam talis Patronus Laicus non quoad omnia reputatur ut Ecclesiasticus, sed tantum quoad commodum, ideoque non obstante hac communione, si Patronus Laicus præsentavit Titium, Ecclesiasticus vero Sempronium, ille adhuc variare poterit, nec privabitur jure suo propter adjunctionem alterius. Zoësius b. t. n. 47. id quod ex sequentibus differentiis amplius patebit.

67 Quodsi controversia inter Patronos oriatur, ea legitima causa non censetur, ut tanquam juste impeditis præfatum tempus non currat cap. 27. b. t. licet alias contra non valentem agere non currat præscriptio. Ratio, cur hic deflectatur à communi regula, favor Ecclesiarum est, ne ob dissidia Pa-

tronorum diutius easdem vacare contingat. Van-Espen d. cap. 5. num. 43. Quapropter si lis mota intra 4. menses à tempore vacationis Ecclesiæ, non litis motæ computandos, inter Patronos Laicos, vel sex menses inter Ecclesiasticos componi non possit, pro ea vice Episcopus providebit, & sine præsentatione Rectorem instituet, ita tamen, ut lite postea finita, is, cui jus Patronatus adjudicatum est, denuo præsentet eundem Clericum, non quasi antecedenter legitime, & irrevocabiliter beneficium non accepisset, sed potius pro forma, & ad acquirendam actualem possessionem juris præsentandi cap. 3. §. 12. b. t. Panormit. ibid. num. 3. Quodsi nolit Patronus victor institutum ex postfacto præsentare, nihil id instituto nocebit, qui jam per institutionem jus plenum in beneficio est consecutus.

Quodsi vero lis sit inter Episcopum & Patronum, forte quod ille prætendat Ecclesiam liberam, vel Clericum præsentatum nolit admittere, Patrono tempus non currit, cap. 4. de Offic. jud. ordin. ne secus in arbitrio Episcoporum esset, jus præsentandi litem fuscitando, & protelando excludere, sed hoc casu, dum lis pendet, interim œconomus vel administrator Ecclesiæ constituendus est, cit. cap. 4. Quodsi denique de jure Patronatus nulla quidem contentio sit, inter ipsos tamen Patronos in actu præsentationis discordia oboriatur, ut si unus Clericus à duobus, alius à tribus, tertius ab uno præsentatus fuerit, hæc discordia jus quidem liberum institutionis ad Episcopum non devolvit, sed ille lapsis 4. vel 6. mensibus unum ex præ-

sentatis, qui scilicet *respective* majora habuerit, eligere debet; vel, si nec in hoc consentire velint Patroni, ad evitandum scandalum omni meliori modo providebit Episcopus, *cap. 3. b. tit.*

69 Secunda differentia est, quod Patronus *Laicus* ad beneficium vacans vel plures simul, vel successive, re adhuc integra, hoc est, nondum facta institutione, præsentare valeat; *Ecclesiasticus* vero nonnisi unum. *cap. 5. § 24. b. t.* ita quidem, ut post præsentationem factam, tamen si alius dignior Episcopo occurrat, nihilo secius primus præsentatus, si aliàs idoneus fuerit, institui debeat, ut prior sit jure, qui prior fuit tempore. *cap. 2. b. t.* Prior præsentatio à DD. vocatur *accumulativa*, eo quod præsentationem præsentationi accumulet, nec præsentando secundum prioris præsentati fiat retractatio. Hanc accumulationem, si ve iteratam præsentationem duntaxat semel fieri posse defendunt Pax Jordan *d. t. num. 241.* Lambertin. *lib. 2. part. 2. quest. 7. art. 23. num. 1. § seqq.* & alii. Quod eatenus verum esse admittit Card. de Luca *discurs. 43. num. 8.* quatenus agitur de præjudicio primò præsentatorum, qui contra ejusmodi accumulationem opponere possunt, si ipsis spretis secundo loco præsentatus per malitiam instituat, & ita quoque sentit S. Rota *apud Merlin. decis. 443. num. 16. § seq.* Ratio vero, cur ejusmodi accumulatio, si ve variatio non æque Patrono *Ecclesiastico* concedatur, multiplex est, tum quod Patronum *Ecclesiasticum* instabilis variatio non deceat. *Clem. un. de Renunt. tum,* quod plus temporis ipsi præ Lai-

co ad præsentandum concedatur, adeoque maturius deliberare possit; tum quod facilius mores & habilitatem Clerici præsentandi exploratos habere valeat, quam Laicus, utpote ipse Clericus, & in Clericorum conversatione constitutus. Gonzalez ex Lambertino ad *cap. 5. b. t. n. 4.* addunt alii aliam rationem, quod præsentatio à Patrono *Laico* facta præsentato nullum jus tribuat, adeoque nihil inconueniens admittatur, si successive plures Episcopo offerantur, tribuat vero jus præsentato præsentatio ab *Ecclesiastico* Patrono facta, cum hæc quandam speciem *electionis* sapere videatur, & consequenter citra præjudicium primo præsentati variatio fieri nequeat. Vid. Van-Espen *d. cap. 5. num. 21.* Card. de Luca *d. discurs. 43. num. 5.* Hæc disparitatis ratio displicet Bœhmerto, eo quod antiquitus (ut habet *§. 92. b. t.*) patronus, tanquam Dominus Ecclesiæ suæ *directus* præsentato Ecclesiæ dederit, & ita præsentationi jam inesset *collatio Ecclesiæ*, ut subinde variare non posset, sed hoc dominium jam superius ad cumulum *chymærarum Bœhmerianarum* rejecimus, ideoque hic verba frustra facere nolumus.

Tertia differentia inter Patronum 70 *Laicum*, & *Ecclesiasticum* eruitur ex Concil. Trid. *Sess. 24. de Reform. c. 18.* ubi Parochiæ per concursum conferri jubentur: in his Patronus *Laicus* id præcipuum habet, quod aliquem Clericum pro libitu præsentare possit, qui tamen per examinatores ad concursum destinatos examinari, & dignus repertus, ab Ordinario institui debeat: è contra Patronus *Ecclesiasticus* ad vacantem Parochiam quosdam Clericos, quos

quos idoneos judicaverit, nominare quidem possit, non tamen ille solus, sed etiam alii, imo Episcopus per publicum edictum convocare omnes, qui talem Parochiam ambiunt, & si peracto examine plures idonei reperti sunt, Patronus Ecclesiasticus habeat electionem, si institutio ad Episcopum spectat, & vel ex pluribus dignis electum, vel si unicus tantum dignus repertus est, illum Episcopo presentet. Si vero institutio ad Prælatum Episcopo inferiorem spectet, & plures digni reperti sint in examine, tunc Episcopus digniorem eligat, electum vero Patronus Ecclesiasticus inferiori Prælato presentet. *d. cap. 18. Trid. Vid. Card. de Luca discurs. 7. num. 13. & 14. & de Paroch. discurs. 15. num. 3. discurs. 37. num. 44. & in Annot. ad Concil. Trid. discurs. 32. num. 31. ubi insinuat advertit in jure Patronatus mixto hunc concursum non desiderari, quia tale jus naturam Patronatus Laicalis habet.*

71 Quarta differentia est, quod Juri Patronatus Laico Papa derogare non

soleat, quamvis citra Patroni injuriam id absolute facere possit *cap. 28. b. t. Panorm. ibid. num. 3. Barbof. num. 3. Garzias part. 5. cap. 1. num. 571. Card. de Luca de Jur. Patron. discurs. 65. n. 33. Pax Jordan d. tit. 7. num. 282. & ratio est, ne scilicet à foundationibus absterreantur Laici, & jus Patronatus contemnant, si illud tam facile eludi posse videant. Et hoc quidem, si Laico jus Patronatus ex fundatione, dotatione, vel ædificatione competat; secus si ex consuetudine, vel privilegio. Barbof. d. num. 3. Juri vero Patronatus Ecclesiastico Papa & potest, & solet derogare, & ideo reservationibus & affectionibus in Regulis Cancellariæ obnoxium manet, ut cum aliis à se relatis docet sæpe laudatus Card. de Luca d. discurs. 65. num. 18. quod ipsum tamen vix locum habebit hodie in Germania propter concordata Germaniæ. Consule nihilominus Zypæum in Consult. Canon. lib. 3. Consult. 1. de Patronatu Laico in Eccles. translata.*

§. VII.

Quibus modis Jus Patronatus amitti possit?

SUMMARIA.

72. Sine culpa Patroni ex sex causis, quæ enumerantur, Jus Patronatus amitti potest. 73. Ex quinque vero causis, ubi culpa intervenit.

72 **V**icissitudini, & occasui ut aliæ res humanæ obnoxie sunt, *Nov. 7. cap. 2. princ.* ita quoque Jus Patronatus huic mutationis, & peremptionis discrimini expositum est. Et quidem vel sine, vel ex culpa Patroni. Sine ejus culpa perimitur, vel amittitur Jus Patronatus. I. Destructione Ecclesiæ totali, item dotis, ac reddituum defectu, adeo quidem, ut nec readificatione, vel redotatione recuperetur, si ad repetitam hanc beneficentiam non concurrant priores Patroni, destructo enim pri-

cipali destruitur etiam accessorium. *arg. l. 21. ff. Quib. mod. Usufr. Zoësius h. t. num. 68. Barbof. J. E. V. lib. 3. cap. 13. num. 254.* II. Si cum Patroni consensu ex Ecclesia Patronata fiat Monasterium, vel Ecclesia Collegiata, quia huic non amplius per *presentationem*, sed per *electionem* providetur, ut *supradictum* est. Magerus *de Advocat. armat. cap. 10. n. 372. Butrius in cap. 25. h. t. num. 26.* III. Si Patronus Ecclesiam patiat Monasterio uniri, non reservato *Jure Patronatus*, tunc enim Ecclesia Patronata alteri unita censetur quasi extincta *cap. 8. de Excess. Pralat. & utitur jure illius, cui facta est unio cap. 3. de Stat. Monach. Zoësius h. t. num. 68.* IV. Libera cessione, remissione, aut donatione per Patronum facta *cap. 16. h. t. in 6.* V. Extinguitur *Jus Patronatus Gentilitium* extincta fundatoris familia, veluti idipsum in feudo, certæ familiæ concessio, accidit. VI. Amittitur per non usum, sicque Ecclesia via *præscriptionis* libertatem recuperat. Ad hoc autem non sufficit non usus mere *negativus*, sed *positivus* requiritur, ut scilicet oblata occasione præsentandi Patronus usus non fuerit, & beneficium per Ordinarium libere fuerit collatum. Tempus vero pro complenda *præscriptione*, si cætera *præscriptionis* requisita adsint, credimus esse 40. annorum, si contra Ecclesiam, vel Patronum *Ecclesiasticum* procedat. *cap. 4. de Præscript. contra Patronum* vero Laicum iussicere tempus Ordinarium, videlicet 10. inter præsentantes, & 20. annorum inter

absentes *arg. l. penult. § ult. C. de Servitut. § aqua. Zypæus lib. 3. Consult. 2. Clar. P. Böckn in Comment. ad h. t. n. 53.*

Ex culpa Patroni amittitur *jus Patronatus* sequentibus modis I. si mutillet, aut occidat Rectorem, vel Clericum Ecclesiæ Patronatæ vel per se, vel per alium, & quidem in perpetuum, ut nec successores talis Patroni ullo tempore amplius ad *jus Patronatus* adspirare ausint, sed Ecclesia libera fiat *cap. 12. de Pæn. cap. 10. eod.* II. Ingerens se in perceptione fructuum, sive deinde in pios usus convertat, sive tantum impediatur, ne ad beneficium, vel eum, ad quem de jure spectant, perveniant, præter excommunicationem etiam *jure Patronatus* ipso jure privatur. Concil. Trid. Sess. 22. de Reform. *cap. ult. Emin. Petra tom. 2. pag. 545. num. 62.* III. Qui contra Canonicas sanctiones *Jus Patronatus* venditione vel alio modo prohibito in alium, transferre præsumit, pariter ipso facto illud amittit. Trid. Sess. 25. de Reform. *cap. 9. & Ecclesia libera evadit. Piafecius part. 2. cap. 5. artic. 1. num. 37.* IV. Si Patronus fiat hæreticus, vel schismaticus *cap. fin. de hæret. V. Si simoniace jus Patronatus acquisitum fuerit. arg. cap. 6. h. t.* Et denique amittitur, saltem pro ea vice, quando terminum pro *præsentatione* faciendâ, præfinitum Patronus negligenter elabi permittit. *cap. 12. 22. § 27. h. t. futuris tamen præsentationibus per hoc non præjudicatur d. cap. 27. in fin. h. t. cap. 3. 4. § 5. de Supplend. neglig. Pralat.*

Z z 2

Tl-